ISOCRATIS

DE DIGNITATE REGNI, ET OFFICIO PRINCIPIS, ET POPVLI, IN REP. CONIVNGENDO, ORATIO.

*

EIVSDEM

Oratio Funebris, in qua laudatur rex Euagoras, omni virtute ornatiß. & laude dignißimus.

CLAVDIO BADVELLO INTERPRETE.

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,

M. D. XLVI.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI HENRICO DELPHINO GALLIAE, CLAVD. BADVELLVS S. P. D.

COGITANTI *mihi ſæpenumero, Henrice clarißime princeps, ea omnia pietatis officia, quæ Reip. Eccleſiæq; præſtare debemus, illud & maximum & ſanctißimum, & Deo gratißimum ſemper eſt uiſum, de quo diuus Paulus nos tam diligenter admonet, ut in ijs precibus, quas ad Deum tum publicè, tum priuatim adhibemus, Principum, Regumq; memoriam cum ſumma charitate complectamur: eorumq; ſalutem, pacem, dignitatem, Deo ſtudiosè commendemus. Ea enim eſt ipſorum uel amplitudo, uel meritorum in Remp. magnitudo, uel noſtræ ſalutis cum incolumitate illorum tanta coniunctio, ut cùm cætera officia iuſta ac debita, tum uerò hoc tam pium, & neceſſarium in ſancta poſitum precatione, ſine nefario ſcelere prætermittere non poſſumus. Non commemorabo ea teſtimonia omnia, quæ in diuinis literis grauißima à Deo regibus ſunt tribu-*

ta: neque etiam beneficia ea, quæ ab his in Remp. & plurima, & maxima conferuntur: ea omnia regum uel ornamenta, uel adiumēta, paucis est uerbis is sanctißimus uir complexus, cuius supra præceptum attuli: qui propterea pro regibus, ac magistratibus dicit esse orandum, ut illorum beneficijs uitam quietam, ac tranquillam, cum omni pietate, atque honestate traducamus. Ergo non pacis solùm, ac quietis perfruitio, uerùm etiam religionis, & pietatis, & omnis uirtutis conseruatio, ac moderatio, in iustitia, & sapientia principis posita est: nostraq́ omnis tum incolumitas, tum honestas cum illius salute dignitateq́ coniuncta: uiget religio, florent literæ, omnesq́ bonæ ac liberales artes in tutela, atque custodia iusti & moderati imperij sunt constitutæ, omnes denique tum homines, tum res, ab optimo, & sapientißimo principe, tanquam à quodam sole, illuminatæ, illustrataeq́ existunt. Itaque non sine causa hi, qui Reipub. præsunt, in sacris literis diuino & honore, & nomine afficiuntur, ut dij quidam nominentur in terris, & à CHRISTO *omnis salutis sapientiæq́ autore* εὐεργέται *propterea appellantur, quòd de Repub. optimè mereantur, & à Paulo eius apostolo dicuntur Dei ministri ad communem utilitatem hominum constituti, & uerò à nobis tum commendatione diuina, tum experientia*

nostra

nostra, eorumq́ summa in nos beneficentia quasi quidam parentes & habentur, & coluntur. Quare hac ego & autoritate Dei, & officij necessitate, & beneficiorum magnitudine, & principum dignitate adductus, soleo quotidie eas preces adhibere, quæ gratam magistratuum omnium memoriam, grauemq́ commendationem habeant: maximè uerò eorum, quorum potestati Deus meam cæterorumq́, qui in hoc uiuunt regno, salutem, pacem, ac quietem tradidit, & commendauit. Nam, ut omittam cætera, multa, magnaq́ commoda, & ornamenta, quibus Gallia abundat, sub eo imperio, quod Franciscus Rex, & Pater tuus, iandiu obtinet, studia certè literarum, optimarumq́ artium, iam inde à principio Regni eius singulari eius liberalitate culta, ac propagata, sic omnibus in partibus Galliæ effloruerunt, ut regionibus ijsdem, quibus ipsum regnum terminentur & celebrentur. Quæ enim est in Gallia natio, quæ perspecta illius singulari in literas uoluntate non studeat, & doctrinæ nomine elegantis se approbare, & in hoc humanitatis genere satisfacere? Prouincia quidem Narbonensis, in qua is Nemausi liberalißimis artibus sedem, domiciliumq́ constituit, ita est excitata, ut in hac laude eruditionis liberalis, existimationisq́ regiæ, admirabilis sit & Ciuitatum inter ipsas concerta-

 tio,

tio, & honestißimorum iuuenum suscepta contentio.

Nostra uerò Ciuitas tanto studio hæc optimarum artium studia, à parente tuo concessa, ita est amplexa, ut se maximo & bonore & munere affectam esse arbitretur. Neque minus præclarè nostra iuuentus de hoc præclaro, atque diuino Regis tum beneficio, tum iudicio sentit, quæ id unum cogitat, agit, elaborat, ut memoriam uoluntatis eius, & liberalitatis, sempiternam in fidelißima, gratißimaq; custodia literarum reponat.

Quare cùm huius sim Reipub. Ciuis quam Rex ita ornare uoluit, & literarum professor, hoc est beneficij eius defensor, magnam, & iustam, & necessariam causam habeo huius mei officij erga eum, atque studij, ut ea optem, & orem à Deo, quæ cùm ad ipsius Regis dignitatem, tum etiam ad regni uniuersi salutem atque incolumitatem pertinere uideantur. In hac pia cogitatione, ac precatione mea, tu mihi princeps es complectendus: cùm quòd ei filius patri in regno succedis, à quo nos tanta beneficia accepimus: tum uerò etiam quòd illud iam specimen dedisti tuæ & iustitiæ, & sapientiæ, & erga literas beneuolentiæ, ut Deo, qui tibi tantum regni decus asseruauit, immortales gratias agere debeamus: & ab eodem petere, ut in te exsuscitet, atque confirmet eam uim mentis & animi, qua te præditum

esse

esse accepimus. Summa enim in te est natura moderatio, constantia, grauitas singulari humanitate temperata, prudentia quidem maior, quàm in hac ætate inesse soleat, ea denique totius uitæ ratio ac consuetudo, in qua inest insigne & odium rerum malarum, & studium bonarum atque honestarum. Quid dicam de iustitia, & ueritate, quæ, ut ille sapientissimus Rex ait, duo sunt maxima regiæ potestatis firmamenta, & ornamenta: quarum altera assentatoribus nullum das locum, altera bonis uiris ac innocentibus honorem, bonitatemque tuam impertis, ut nemini quidem dubium sit, quin ad huius imperij dignitatem non solùm hæreditaria successione, sed etiam diuina electione declaratus peruenias. Is enim, mea quidem sententia, ad principatum obtinendum es ritè, ac diuinitus allectus, qui uel à natura, uel à disciplina his ornatus es uirtutibus, quæ ad tantam potestatem moderandam atque administrandam requiruntur: quod enim aliud potest esse nostrum de tuo regno iudicium, quàm illud, quòd diuino cum testimonio consentire planè uideatur? Nam cùm te Deus unum ad tantam regni dignitatem obtinendam conseruarit, ijsque animi, & ingenij ornamentis decorarit, quæ sunt principe dignissima, Reique publicæ necessaria, quid aliud aut existimare possumus, aut dicere, quàm in tantis,

tamque

tamq; acerbis fratrum tuorum casibus te seruatum esse unum, ut Deus ipse per te & optimo parenti tuo lætitiam, & Reipub. salutem daret, & ipsius regni dignitati consuleret. Itaque duæ sunt res, quæ omnium Gallorum animos maximopere in te confirmare debent, hæreditas patris, à quo per manus traditum regnum accipis, & Dei autoritas, qui te & ingenio & animo ad imperandum aptum, regijsq; uirtutibus ornatum, ad hanc dignitatem potestatemq; uocauit: qua in re etsi gratissima quidem est eius humanitatis ac liberalitatis, qua pater tuus in nos utitur, perfruitio, eiusq; diuturnitas peroptata: tamen non iniucunda certè etiam est istius tuæ uirtutis, & sapientiæ, & bonitatis expectatio. Pater enim iam tuus ætate ipsa ingrauescit, cuius autoritate, ac liberalitate bonæ literæ, omnesq; artes liberales contra iniquos homines ac barbaros sunt defensæ, & ornatæ. Nunc tu unus es, qui summam bonis, ac doctis omnibus spem facis, & illud quasi signum tollis, quo omnium improborum atque inimicorum impetus debilitatur. Actum enim iam planè esset de honestissimis studijs cùm humanitatis, tum etiam pietatis, nisi Deus nobis aut dedisset talem regem, aut eius filium tam humanum, tamq; pium successorem, ac hæredem regni constituisset. Sed prouidentia, ac benignitas

numinis

numinis huic calamitati adeo prospexit, ut & is iam in regno diutissimè uixerit, uiuatque adhuc, ac rebus omnibus floreat, quo nemo unquam fuit humanior, literarumque amantior: & qui ab eo natus est, idem ad amplissimam, & certissimam non regni solùm, uerùm etiam humanitatis liberalitatisque paternæ hæreditatem uocatus sit. Nam hac uestra summa & autoritate improborum audacia reprimetur, & sapientia eorumdem insidiosa malitia uitabitur: uirtus uerò, pietas, religio, humanitas, rerumque optimarum atque artium studia, suum ius, & honorem obtinebunt, otiumque non ad commoditatem solum ac tranquillitatem, sed etiam ad dignitatem comparatum. Quare hæc uestra singularia & diuina beneficia non sentire, aut dissimulare, atque occultare, hominis est aut malè de Repub. existimantis, aut nihil omnino cogitantis. Meum autem & cæterorum, qui pij esse uolunt hoc est officium, ac gratitudo, ut & in his pietatis exercitijs, quæ apud Deum suscipimus, uestram salutem cum nostra incolumitate coniungamus: & in his literarum studijs, ad quæ sumus deducti diuinitus, ea meditemur, doceamus, & scribamus, quæ ad uestram laudem atque gloriam pertinere uideantur. Nam cùm ea sit & Francisci Regis paren-

tis tui in nos liberalitas, qua nulla maior esse posset, & tua Henrice consimilis uoluntas: æquum est, nisi ingrati esse uelimus, ut si referre gratiam non poßimus, animo quidem certè habeamus, quantum'que uobis debeamus, eo literarum testimonio declaremus, quo nullum neque ad laudem benemerentis illustrius, neque ad animi grati memorisq́; testificationem grauius, neque ad perpetuam beneficij memoriam stabilius, nec excogitari, nec adhiberi potest. Quæ enim gratia optimo, ac humanißimo principi, qui semper dare, nihil accipere, nisi memoriam, laudemq́; meritis debitam, paratus est, aut maior, aut gratior esse posset, quàm ea, quæ in gratißima ac ornatißima literarum prædicatione sita est? Hæc igitur est gratitudo nostra, & pietas, & gratia, quam pro uestris in nos promeritis habemus, ut cùm nos Deus ad hæc literarum studia uocauerit, in quibus memoria, ac fidelißima custodia uirtutum, honestarumq́; actionum continetur, ea cogitemus, & scribamus, quæ te Henrice, quæ regem parentem tuum in maxima ac sempiterna omnium hominum cognitione, & commendatione, & admiratione, charitateq́; ponant: ut cùm ij, qui nunc sunt, aut ad sexcentos annos erunt, aut audient, aut legent tantam uestram in literas,

atque

atque artes bonas beneuolentiam, uos iucundiſsima huius ſingularis animi recordatione, & prædicatione proſequantur: imitationeq́; tam præclari exempli ad hæc ſtudia amanda, colenda, ornandaq́; excitentur.

Cùm autem ſciamus, quàm ſit excellens in magnis animis atque ingenijs laudis cupiditas, quamq́; prompta, & parata in gratos homines uoluntas, utroque in genere uobis ſatisfacere cupimus, & nomen ueſtrum, quantum poterimus, immortalitati commendare, & noſtrum erga uos animum ſtudiumq́; hac teſtificatione uobis approbare. Itaque in maximis doctorum hominum & ſtudijs, & ingenijs, à quibus eximia uirtus ueſtra celebratur, erit aliquis ad eandem & uoluntatem & facultatem meæ locus induſtriæ. Quanquam ut magnus ille Alexander nolebat quenuis rerum ſuarum ſcriptorem, ita uos quidem meremini, ut præſtantiſsimis ingenijs ſolùm, atque eruditiſsimis hominibus uirtus ueſtra prædicetur: tamen omni elaborabo diligentia, atque induſtria, ut mea prædicatio ueſtra ſumma amplitudine & dignitate non indigna uideatur. Nunc quidem quòd in hoc tanto & rerum diſcrimine, quo iam in grauiſsima peſtilentia perfuncti ſumus, & docendi munere ac labore, quo impedimur, mitto ad te

has duas orationes, à me è Græco in Latinum sermonem conuersas, & quidem ex eo oratore, qui omnium tum Græcorum, tum Latinorum elegantissimus, & uenustissimus est. Sunt autem Isocratis Rhetoris, quarum in priore, quæ Nicocles est appellata, cùm de regni dignitate, & potestate, tum de ipsius Regis, & populi in ea Republica officio communi disputatur: & quemadmodum alter imperare debeat, alter parere, eleganter grauiterq; demonstratur. In posteriore, quæ funebris est, Euagoras pater Nicoclis, Salaminius Rex, princeps optimus, sapientissimus, fortissimus, moderatissimusq;, ab eloquentissimo oratore laudatur: & quasi quædam, & quidem pulcherrima, Regis imago in Euagoræ laude informata, à prestantissimo, politissimoq; artifice orationis describitur. Nullus enim est nec apud Græcos, nec apud Latinos orator philosophus, aut alius scriptor, qui aut uenustate orationis, aut grauitate sententiarum, cum Isocrate Rhetore comparandus uideatur. Quare huius orationes mihi quidem semper uisæ sunt dignæ, quæ & in Latinum & Gallicum sermonem uersæ ad te Henrice mitterentur: atque ex his illæ quidem maximè, quibus aut salutaris officij admonitio, aut illustris uirtutis

tutis

tutis commendatio, aut præclari ac memorabilis alicuius exempli descriptio, imitatioq́; continetur. Neque uerò hæc ad te scribo, quòd tuus animus his aut admonitionibus conformandus sit, aut adhortationibus ad studium uirtutis excitandus: cuius natura ita est moderata, ut sine disciplina uideatur optima esse potuisse: ea autem accessit disciplina, & totius uitæ consuetudo, quæ uitiosam, immoderatamq́; naturam ad moderationem, constantiam, grauitatemq́ue reuocare potuisset. Itaque non mitto ista ad te, ut eorum institutione mores conformes tuos: sed ut in eorum lectione, quasi in quodam speculo, contempleris ea ornamenta omnia, quæ aut natura tibi dedit, aut industria tua attulit. Etenim periucunda erit lectio, & quasi agnitio earum uirtutum, quæ cùm maximè sunt laudabiles, & principe dignæ, omnes in tuis moribus, totaq́; uitæ ratione præclarissimè conspiciuntur. Magnam capies ex his scriptis uoluptatem, cùm excellentem, ac diuinam mentem tuam, & uoluntatem perspicies cum ingenijs iudicijsq́; doctissimorum hominum ita consentire, ut quæ hi præscribunt, ea tu quoque & sentias, & uelis, & facias: summæq́; & naturæ, & uitæ tuæ moderatio ad eorum doctrinam undique apta, & perfecta:

cta:

cta: uel potius ea doctrina, & tua natura, atque uita, aut tui similium bonorum clarorumque uirorum deprompta, & ad caeterorum institutionem explicata esse uideatur. Deinde habes tu iam eos liberos, quorum prima aetas ac puerilis indoles poterit his uirtutis aut praeceptis ad honestam rectamque uitam informari, aut laudibus ad gloriam & dignitatem excitari. Quamuis enim ipsis ad probitatem, atque uirtutem percipiendam, & colendam, neque paterna auitaque auctoritas deerit, neque grauis aulae, & familiae tuae disciplina: tamen non aliena erit, neque à tua dignitate, neque ab eorum aetate huiusmodi doctrina, in qua aut necessaria praecipiuntur uitae officia, aut praeclara uirtutis studia, commendantur. Quo quidem in genere tantam & suauitatem, & grauitatem habet haec oratorum oratio, quantam neque philosophorum disputationes, neque uersus poëtarum, nec historicorum narrationes habere possunt. Nam cùm haec sint quatuor scriptorum genera, quibus laus aliqua tribuitur artificiosae orationis, orator caeteros tres ea laude atque arte superat, qui unus ea uniuersa habet dicendi ornamenta & lumina, quae in singulis alijs conspiciuntur. Neque enim aut philosophus grauius uitam

mores

moresque aut explicabit, aut commendabit, neque historicus exempla, ac res gestas melius commemorabit, neque poëta numerorum suauitate, ac uersuum concinnitate maiorem ac iucundiorem auditoribus lectoribusque comparabit uoluptatem, quàm orator, qui sit & eruditus, & peritus, & uenustus. Huius enim summa est & autoritas, in admonendo, & copia ac grauitas in laudando, & uehementia in uituperando: in omni denique genere orationis admirabilis proprietas, & uenustas. Atque haec quidem commoditas, & facultas orationis, quantum principi sit & necessaria, & honesta, tu pro tuo ingenio facilè potes iudicare. Quare princeps illustrißime tuae erit sapientiae, huiusmodi scriptores liberis tuis proponere, ex quibus & bene dicere, & bene uiuere discant, eosque assuefacere ijs & magistris, & literis, à quibus instituti & humanitatem aui Francisci Regis, & uirtutem patris referre poßint, & tantam imperij dignitatem aliquando sustinere, ut memoria clarißimi uestri nominis, familiae, generis in optima sobole propagata omnibus seculis efflorescat. Ego si hoc meum studium tibi non ingratum esse intellexero, posthac me ad maiorem, grauioremque cogitationem, curamque compara

para

parabo, ex qua tu uoluntatem tuam, & dignitatem, & præstantem liberorum tuorum indolem, ac nascentem iam uirtutis laudem mihi charissimam esse intelligas, atque cognoscas.

*

ISOCRATIS

DE DIGNITATE REGNI, ET OFFICIO PRINCIPIS, ET POPVLI, IN REP. CONIVNGENDO, ORATIO.

*

SVNT aliqui à ſtudio dicēdi alieni, qui eos reprehendunt, qui in philoſophia uerſantur: eosq́ aiūt huiuſcemodi ſtudia, atque exercitationes, nō ad uirtutem colendam, ſed ad cupiditatē explendam celebrare. Libēter igitur eos, qui iſto ſunt animo, rogarem: cur ab ijs, qui ſtudioſi dicēdi ſunt, refugiunt: eos uerò, qui rectè agēdi conſilia capiunt, laudibus afficiunt? Nam ſi pecuniæ ſtudium, lucrumq́ eos offendit, plura, maioraq́ commoda, atq emolumēta, ex rerum actionibus, quàm ex orationibus uidebimus comparari. Deinde illud etiam abſurdum, quòd & Deorum immortalium religionem, & iuſtitiã, & cæteras uirtutes, non ut pau-

ciora quàm cæteri cōmoda habeamus, ſed ut in maxima bonorum copia uitam degamus. Itaque minimè quidem ſunt uituperandæ hæ res, quæ opes cum uirtute coniunctas alicui afferre poſſunt: ſed potius hi homines, qui aut in adminiſtratione rerū imprudenter, aut in dicendi facultate fraudulenter uerſantur, nec iuſtè eis utuntur. Mirum autem mihi uidetur, cur iſti, qui de eloquētiæ ſtudio ita ſentiunt, non etiam diuitias, & uires, & fortitudinē maledictis inſectentur. Nam ſi propterea oderunt oratoriam dicendi facultatem, quòd illius profeſſores orationis copiam ad fraudes, mendaciaq́ꝫ conferant: æquum eſt, ut alias quoque res, quæ ſunt bonæ, in eādem reprehenſionem uocēt. Sunt enim plerique, qui his rebus prædíti, & ornati, multa perperam uidebuntur agere, earumq́ꝫ facultatem ad maleficia, & ad multorū perniciē conferre. Verūtamen non eſt æquum, nec ſi quis obuios quoſque uerberet, icciro corporis uires accuſare: nec propter eos, qui homines occidunt, fortitudinem contumelijs inceſſere: nec deniq́ꝫ hominū improbitatē in res ipſas deriuare: ſed illos ipſos incuſare, qui bonis his utūtur malè, ijsq́ꝫ rebus ciues ſuos aggrediuntur, quibus eos plurimū iuuare poſſunt. Nunc uerò hanc rationem negligentes unamquanqꝫ rem iudicandi, omnibus quæ habētur orationibus iniqui ſunt, & offenſi: atqꝫ in tantum errorem delapſi, ut non ſentiant, ſe abhorrere ab ea re,

quæ

quæ una ex omnibus, quæ in humana sunt natura, plurimas, maximasq; cõmoditates affert. Nã cæteris quidẽ rebus, quas habemus, nihil brutis animantibus præstamus: sed & celeritate, & robore, & alijs facultatibus ab illis lõgè superamur. At uerò postquam insita, atque innata in nobis ea fuit uis, qua alij alios persuadere, cogitationesq; nostras, ac uoluntates declarare possemus: nõ solum ab inculta, efferataq; uita discessimus, sed etiam certis in locis congregati ciuitates condidimus, & leges constituimus, & artes inuenimus. Deniq; omnium propè, quæ à nobis in uita sunt excogitata, atque instituta, nobis fuit administra oratio. Hæc enim de rebus iustis & iniustis, de honestis & turpibus, leges cõstituit: quæ nisi in Republica describantur, nulla poterit inter nos ciuilis societas cõtineri. Hac & improbos homines uituperamus, & bonos uiros ornamus laudibus. Per hanc cùm imperitos erudimus, tum uerò prudẽtes iudicamus. Nam benè quidem dicere maximum prudẽtiæ signum arbitramur: ipsaq; oratio uera, & recta, & iusta animi probi, fidelisq; imago est. Huius facultate & de ambiguis cõtrouersisq; disceptamus, & de ignotis, atq; obscuris quærimus. Quibus enim argumẽtis fidem alijs facimus, his ipsis ad deliberationes, consiliaq; de alijs rebus capienda, utimur: ac Disertos quidem eos appellamus, qui apud populum copiosè, ornateq; possunt dicere: Prudẽ-

tes uerò exiſtimamus illos eſſe, qui ſecũ ipſi de propoſitis rebus optimè diſſerunt. Quòd ſi huius quidẽ facultatis uis uniuerſa eſt comprehendẽda, reperiemus nullam rem fieri prudẽter, quæ ab oratione ſeiuncta ſit, omniumq́ tum rerum, tum ſententiarum ducem eſſe orationem: eosq́ habere plurimum prudentiæ, qui maximum dicendi uſum habent. Quare qui contumelioſè lædere audent eos, qui ſtudijs doctrinæ, atque ſapientiæ ſe dediderunt, eodem odio ſunt digni iudicandi, quo hi, qui templa uiolant immortalium Deorum. Equidem probo cùm omnes orationes, eas etiam, quæ mediocrem aliquam utilitatem afferre poſſunt, tum uerò eas & pulcherrimas arbitror, & rege, & me digniſsimas, quæ de inſtitutis uitæ, rebusq́ publicis præcepta tradunt: atq; etiã ex his ipſis illas præſtantiſsimas iudico, quæ docent quemadmodum debeant & principes populo imperare, & priuati magiſtratibus parere. Etenim ex his rebus uideo ciuitates maximas, beatiſsimasq́ extitiſſe. Ac eam quidem aliam orationem, quæ de officio regis eſt, iam ab Iſocrate ipſo audiuiſtis: quæ uerò ei eſt coniuncta, quæq́ docet, quæ ſubditis facienda ſunt, eam ego uobis conabor explicare: nõ quòd me illum ſuperaturum ſperem, ſed quòd ad officiũ, dignitatemq́ meam maximè pertineat, apud uos de huiuſcemodi rebus diſputare. Nam niſi uobis meã ſententiam, uoluntatemq́ declararo, ex qua intelli-

gere

gere posſitis, quid uobis faciendum ſit, uosq́ cōtra eam aliquid feceritis, non habebo cauſam, iuſtam quidem, qua iraſci uobis poſsim. Si autem prædixero, ac denūtiaro, quid à uobis fieri uelim, idq́ fuerit prætermiſſum, tum iure iraſci potero ijs, qui meam autoritatem cōtempſerint. Exiſtimo autem me maximè poſse uos monere, atque hortari ad ea, quæ à me prædicta fuerint, & memoria conſeruanda, & omni obſeruantia præſtanda, ſi non ſolùm præcepta, ac monita uobis tradidero, hisq́ expoſitis finem dicendi fecero, ſed ſi præterea uobis demonſtraro, primum ſtatum huius reip. quàm oporteat illum tueri, & amplecti, non ſolùm quia neceſſarium nobis eſt, omniq́ tempore uitæ in ea uiuendum, uerùm etiam quòd hoc genus Reip. eſt cæteris omnibus anteponendum. Deinde quòd imperium habeam, nō iniuſtum illud quidem neq́ alienum: ſed ſanctè, & iuſtè cùm à maioribus meis, patreq́ meo traditum, tum etiam mea induſtria, & uirtute comparatum. Quæ quidem omnia, ſi prius uobis fuerint demonſtrata, nemo erit, qui non ſe grauiſsima dignum pœna iudicet, niſi meis & conſilijs, & mandatis obtemperarit. De rebus publicis igitur (nam hinc principiū duxi orationis meæ) puto grauiſsimum quidem uideri omnibus, minimeq́ ferēdum, ut boni, atq́ improbi ijſdē præmijs, & honoribus digni habeantur: rectiſsimum uerò, & iuſtiſsimum, ut eorum cuiuſq́

ratio certa, distinctaq́ habeatur: ut quorum mores sunt dissimiles, & uita diuersa, eorum sit etiam dissimilis, & dispar, in Rep. fortuna, & dignitas: quantumq́ quisq; meretur, tãtum honoris consequatur. Ac in illis quidem rebus pub. in quibus aut pauci dominantur, aut populus summam potestatem habet, hæc æquabilitas in honoribus tribuendis maximè probatur, & quæritur ĳs, qui in eadem Repub. uersantur: & hoc quidem, quod improbis utile est, imprimis laudatur apud eos, si alius alium non potest honore ac dignitate pręcellere. At uerò in ea repub. in qua unus potitur rerum, qui REX appellatur, honores ita distribuũtur, ut primum dignitatis locum is obtineat, qui cæteris uirtute præstat: secũdum autem is, qui proximè primum sequitur: tertium uerò, & quartum ĳ deinceps, qui eadem ratione ordineq́ consequuntur. Et quamuis hæc non ubiq; ita constituantur, ista quidem tamen est reipub. uolũtas, atq; sententia. Ac si & hominum naturæ, & actiones perspiciantur, uidebimus eum omnium consensum, ut Regnũ cæteris rebus pub. anteponant. Etenim quis est, qui modò sapiat, & aliquid intelligat, qui nõ malit eius ciuis esse Reip. in qua sui ratio habeatur, cognoscaturq́ sua probitas, quàm eius, in qua cum uulgo ita feratur, ut quis sit planè ignoretur. Tantò uerò & moderatior, & iustior, quàm cæteræ nobis rectè hæc est resp. iudicanda, quantò facilius est sequi

unius

unius uiri sententiam, & autoritatem, quàm ad tot, tamq́ue uarias, ac multiplices hominum uoluntates, mentesq́ue se conformare. Atque hunc quidem statum Reip. nostræ & iucũdiorem esse, & mitiorem, & iustiorem quàm sit cæterarum, multis certè rebus aliquis probare posset: ueruntamen ex his, quæ modò à nobis dicta sunt, perfacilè est cognoscere, in reliquis autẽ, quæ in Repub. administranda sunt, quantum præstent regna tum in consilijs capiendis, tum in rebus utilibus, necessarijsq́ue gerendis, hoc modo pulcherrimè perspicere poterimus, si præcipuas maximasq́ue actiones in contentionẽ adduxerimus, atque ita eas inter se comparatas exquisiuerimus. Nam illi quidem, quos diximus in alio reipub. genere uiuere, magistratus singulis annis ineunt, eosq́ue prius deponunt, & priuati fiunt, quàm sentiãt ea, quæ ad ciuitatem pertinẽt, eorumq́ue usum ullum habeant. Isti uerò, qui soli rerum potiuntur, cum ijsdem rebus semper sint præfecti, quarum imperium habent perpetuum, quamuis natura ingenioq́ue sint inferiores, tractatione quidem certè, atque experientia rerum, sunt lõgè superiores. Deinde illi ob eam causam pleraque negligũt, quòd alij alios respiciunt, atque aliquid muneris requirũt: isti nihil omnino prætermittũt, quippe qui satis intelligunt, ea quæ agenda sunt non ab alijs, sed à seipsis expectanda, & agenda. Accedit his, quòd ij, qui aut in paucorum uiuunt dominatu,

aut

aut ſtatu populari labefactant Remp. ijs contentionibus, quas de honore inter ſe ſuſcipiunt. Qui uerò ſoli rebus præſunt, cùm neminem quidem habeant, cui ſummam rerum, principatumq́ꝫ inuideāt, quàm præclariſsimè poſſunt, Remp. adminiſtrāt. Præter hæc, illi quidem amittunt opportunitates rerum gerendarum. Nam cùm in rebus priuatis plurimū temporis conſumunt, tum uerò poſteaquam in concilia conuenerunt ſæpenumero quis eos uideat aut diſceptare inter ſe, aut de rep. deliberare. Iſti uerò, qui nullum necꝫ conſilij capiendi locum, necꝫ tempus conſtitutum habent, ſed dies ac noctes adminiſtratione rerum occupati ſunt, nullam occaſionem prætermittunt, ſed ſingula, quæ ſunt gerēda, in tempore & ſuſcipiunt, & gerunt. Illi etiam ſimultates inter ſe exercent, uellentq́ꝫ & eos, à quibus magiſtratum acceperunt, & eos, quibus tradituri ſunt, quàm teterrimè remp. gerere, quò maximam ipſi gloriam conſequi poſſent. Hi uerò, quorū imperium non eſt annuum, nec terminatū, ſed perpetuum, eadem quocꝫ ſtudia, uoluntatesq́ꝫ perpetuò cuſtodiunt. Illud autem maximum, quòd Reges Rerumpub. ut priuatarum, ac ſuarum curam ſuſcipiunt: alij uerò, quaſi eſſent alienæ, & ad ſe nihil pertinentes, ita de his ſentiunt. In quibus illa etiam eſt diuerſa ratio, quòd in eo genere hominum, & ſtatu rerum, ij in conſilium adhibētur, qui omnium ſunt audaciſsimi: in regno ex omnibus hi deli

hi deliguntur, qui ſunt prudentiſsimi. Atq; ibi quidem honore afficiuntur, qui apud plebem imperitamq́; multitudinem poſſunt copiosè & ſplendidè dicere: hic uerò in maximo ſunt uſu, atq; honore, qui res benè, prudẽterq́; ſciunt gerere. Neq; uerò ſolùm regna in his annuis, quotidianisq́; actionibus ſunt præſtantiora, ſed in rebus bellicis omnibus militaribusq́; ſuperiora: Nam & delectus militũ habere, copiasq́; comparare, & eas in aciem ita educere, ut tum occulto, tum aperto marte pugnẽt, & homines ad ſuas res, partesq́; ita adiungere, ut alij uerbis perſuaſi, alij armis coacti, alij pecunia corrupti, alij alio quodam officij, obſeruantiæq́; genere allecti, in ſocietatẽ belli adducantur, multò melius regna, quàm cæteræ reſpublicæ & ſciunt, & poſſunt. Atque hæc quidem ita eſſe non minus rebus & exemplis, quàm uerbis atq; argumentis quis firmare, docereq́; poterit. Nam Perſarum quidẽ imperium ſcimus omnes tantum incrementũ, magnitudinemq́; habuiſſe, non mehercule prudentia hominũ, ſed multò magis obſeruantia, quam maiorẽ, quàm cæteri, Regibus præſtiterint. Dyoniſium uerò tyrannum, cùm reliquam Siciliam euerſam funditus, tum etiam patriam ſuam ab hoſtibus obſeſſam, atq; oppugnatam accepiſſet, non ijs ſolùm periculis, quibus erat circunuallata liberaſſe, uerùm etiam ita eam amplificaſſe, ut amplitudine & potẽtia omnibus Græciæ ciuitatibus lon-

ge præſtaret. Quid dicam de Carthaginienſibus, & Lacedæmoniȷs, quorum Reſp. inter omnes Græciæ Ciuitates optimè adminiſtrātur: qui cùm domi paucorum hominum ſtatum, dominatumq́ habeāt, & colant, foris tamen, ac in bello, ſummum imperium ad unum hominem deferūt, ut in urbe paucorum, in bello unius ferant principatum: quo etiam in genere poſſet aliquis oſtendere, ciuitatem Athenienſem, cuius odium in Reges, ac Tyrannos ſummum eſt, tum quidem malè rem gerere, cùm multos ad bellū mittit imperatores: cùm uerò uni alicui ſummam rerū cōmittit, eiusq́ ductu in diſcrimen adducit, præclarè remp. bellumq́ adminiſtrare. Atqui quibus tandem rationibus quis clarius demonſtrare poſsit, Regna maximè eſſe expetenda, & honorāda, quàm ȷs exemplis, quæ à me ſunt cōmemorata? Videbimus enim & eos, qui ſoli imperium retinuerūt, atq; uſq; ad finem uitæ perpetuarunt, maximam potentiam habuiſſe: & eos, qui dominatum paucorum communem ſunt amplexi, cùm in eo tuendo elaborarēt, hac tamen ratione Reipub. gerēdæ carere non potuiſſe, quorum aliȷ unum duntaxat ducem, aliȷ Regē exercitui præfecerūt: et uerò eos, qui regna maximè oderunt, tum quidem nullam rem utilem, egregiamq́ geſsiſſe, cùm multis ducibus adminiſtrationem belli tradiderunt. Quòd ſi quid à ueteribus proditum etiam eſt dicēdum, fertur ipſos quoq; Deos in cœlo unius

unius Iouis imperio regi, & contineri: de quibus, si uera quidẽ oratio est, satis intelligimus, illos quoq; hunc reip. statum cæteris omnibus præposuisse. Sin nemo de his aliquid planè compertũ habet, sed nos ipsius rei dignitatem hac deorum immortalium imagine uolumus exprimere: magno argumento nobis esse debet, quòd omnes principatum unius præstantissimum esse arbitrantur. Nam nisi regnum cæteris rebus publicis putaremus antecellere, nunquam eo Deos uti diceremus. Ac de rebus publicis quantum intersit inter eas, omnia quidẽ neq; inueniri possunt, neq; dici: ueruntamen hoc quidẽ tempore hæc à nobis disputata sufficiant. Quemadmodum autem iustum ac debitum habeamus imperium multò, quàm illa prior fuit, & breuior, & uerior erit oratio. Et enim quis est, qui nesciat, Teucrum quidẽ nostri generis autorem ac principem, cùm maiores aliorum ciuium secũ duxisset, hucq; nauigasset, & urbem Salamina condidisse, & regionẽ descripsisse, singulisq; assignasse. Euagoras uerò pater meus amissum ab alijs imperium maximis periculis susceptis recuperauit, itaq; statum reip. commutauit, ut Phœnices Salaminijs amplius non imperarent, sed ad quos antè ab initio pertinebat, apud eos imperium remaneret.

Restat nũc id, quod initio proposui, ut de me ipso aliquid dicam: ut uos intelligatis, eiusmodi uestrum esse regem, qui non solùm maiorum suorum digni-

tate, uerùm etiam sua honorem, & quidem maiorẽ, quàm sit iste suo quodã iure mereatur. Nam sic ego statuo, omnes homines ex omnibus uirtutibus Tẽperantiam & Iustitiam dignitate præstantissimas facilè iudicaturos. Neq; enim solùm nobis per se ipsæ utiles sunt, sed si uoluerimus & naturam, & uim, & usum rerum ipsarum considerare, reperiemus eas, quæ ab his duobus uirtutũ generibus sunt seiunctæ, maxima hominibus mala importare: Quæ uerò cũ iustitia, & temperantia, moderationeq́; coniunctæ sunt, plurimum uitam humanam adiuuare. Quòd si hi, qui ante me fuerũt, & hunc principatum obtinuerunt, harum duarum uirtutum gloriam sunt adepti: arbitror me quoq; eãdem laudem consequi oportere. Ac iustitiam quidem maximè ex eo poteritis cognoscere quòd cùm in hac regni potestate constitutus accepissem primum ipsam domum regiam pecunia omni destitutam, ac uacuam, regiumq́; ærarium prorsus exhaustũ, deinde Remp. maximopere perturbatam, in eumq́; statum redactam, ut summam & diligẽtiam, & custodiam, & impensam desideraret: Tum uerò uiderem, alios principes in hoc quidẽ rerum statu, & tempore, suis commodis, utilitatiq́; omni ratione cõsulere, ipsaq́; rerum necessitate cogi ut multa contra naturam, ac mores suos facerent: tamen in nulla omnino re ab officio meo discessi, sed ita integrè, & castè, et præclarè Remp. administraui,

ut quib

ut quibus rebus ciuitas nostra amplificari potest, & beata existere, earum rerum ei nulla defuerit. Nam cùm meis quidem ciuibus tanta mansuetudine, clementiaque uixi, ut toto imperij mei tempore nullus neque in exiliũ missus fuerit, neque morte affectus, nec pecunia multatus, neque ullam denique huiuscemodi perpessus calamitatem. Cùm uerò propter bellum, quòd cum Græcis gestum est, omnis in Græciã aditus nobis interclusus esset, nosque ad rapinam, atque omnium prædam essemus expositi, his tot, tantisque malis remp. maxima ex parte liberaui, alijs persoluens eam, quæ eis debebatur, pecuniam uniuersam, alijs partem tantũmodo, ab alijs postulãs, & orans, ut adhuc expectarent, pecuniæque dissolutionem in aliud tempus reijcerent, cùm alijs uerò quãtum quidem poteram decidens, atque componens eas contro uersias, quæ de iniurijs, criminibusque illatis nobis, cum illis extiterant. Præterea cùm ij, qui insulam incolunt, à nobis essent alieniores, & Rex Persarum uerbo quidẽ reconciliatus, re autem uera nobis esset inimicus, utrosque hos placaui, alteri præstãs officiũ, & obseruãtiam, alteris uerò iustitiam & æquitatem. Atque à rerum quidem alienarum cupiditate tantum absum, ut cæteri si suis finitimis sunt paulò potẽtiores, in eorum fines, agrosque inuadant, atque ita imperium suum amplificare contẽdant: ego uerò ne agrũ quidem mihi datum accipere uolui, sed malo meam

ditionem ſolam iuſtè retinere, quàm maiorē iniuſtè acquirere. Sed quid opus eſt in ſingularum harum rerum cōmemoratione immorari diutius, cùm præſertim ita ſe habere de me breuiter demōſtrare poſſim? Nam neq; quenquā uidebor unquā affeciſſe iniuria, & plura, maioraq́; cùm in Ciues meos, tum etiam in Græcos & beneficia, & munera contuliſſe, quàm omnes ſimul, qui ante me in hac Ciuitate regnarunt. Atque has tot, ac tantas, tamq́; præſtantes laudes, de ſe ij commemorare poſſunt, qui ſummam iuſtitiæ ſuæ opinionem habent, quiq́; præ ſe ferunt omni ſe pecunia eſſe ſuperiores: ſed tamē ego adhuc temperantiæ, & continētiæ, maiores, quàm iuſtitiæ laudes, proferre poſſum. Nam cùm ſcirē omnes homines in ſuos liberos atq; uxores ſingulari eſſe & animo, & ſtudio, uehementiſsimeq́; cōmoueri in eos, à quibus iſta, quæ ſunt eis chariſsima ac iucundiſsima, uiolarentur, atque iſtam uim & petulantiam maximorū cauſam eſſe malorū, qua multi & priuati & principes perierūt funditus: hæc tanta flagitia, & maleficia, ſic effugi, ut ex eo tempore, quo regnum ſum adeptus, cum nemine uidear, quàm cum uxore mea conſuetudinem habuiſſe. Neque uerò ignorabā, eos multis probare uitā ſuam, qui à maleficio ſuorū Ciuium, iniuriaq́; abſtinerent, aliunde autem ſibi uoluptates curarent, atq; accerſerent: ſed ego tum uolui ab his me ſuſpicionibus quàm lōgiſsimè abeſſe, tum

etiam

etiam morum, uitæq́; meæ exẽplum cæteris Ciuibus proponere: illud quidem sciẽs, solere populũ uitam suam ad ea studia, institutaq́; conformare, quæ à suis principibus coli, celebrariq́; uideat. Deinde ad officium pertinere sum arbitratus, ut reges ipsi, ac principes, hominibus priuatis tanta præstarent uirtute, ac probitate, quanto honore eisdem & dignitate præcellũt. Indignè uerò eos facere, qui cùm alios cogũt ad modestè & pudicè uiuendũ: ipsi tamẽ non se præbent, quàm sunt priuati, modestiores. Præterea uidebam alijs quidẽ rebus, atq; actionibus permultos esse superiores: cupiditatibus uerò, & ijs uoluptatibus, quæ uel à mulieribus, uel à pueris capiuntur, magnos etiam uiros esse inferiores. Quare continentiam, ac temperantiã meam in ijs rebus declarare uolui, in quibus non meis solùm Ciuibus præstaturus essem, uerumetiam ijs, qui summã de se uirtutis opinionem haberent. Illos etiã ualde improbos esse iudicabã, qui cùm uxores duxerint, cum hisq́; totius uitæ societatẽ coierint, non seruant tamen eam fidẽ, quam promiserunt: sed intemperantia uoluptatum suarum offendunt eas, à quibus ipsi nullo modo offendi uellent. Atq; in alia quidẽ uitæ consuetudine, cõmunitateq́;, iustos se, & probos præstant. Eam uerò societatem, quæ ipsis est cum uxoribus, uiolant, quam oportet eò sanctius colere, & cõseruare, quòd cæteras omnes necessitudines coniunctione, & magnitud

gnitudine ſuperat. Deinde domi in ipſa regia, dum his uoluptatibus ſunt implicati, domeſticorũ diſſen ſiones ſeditionesq́ſibi relinquunt imprudentes. At qui oportet eos, qui præclarè regnum adminiſtrãt, maximè elaborare, ut non Ciuitates ſolùm, quas re- gunt, uerũ etiam ipſas domos, familiasq́ priuatas, in quibus uiuunt, in concordia, paceq́ contineant. Nam iſta quidem omnia ſunt iuſtitiæ opera, & tem- perantiæ. Neq; uerò in procreatione liberorum eo animo & iudicio fui, quo pleriq; Reges ſunt: neque putaui unquam, oportere alios ex ignobili, atq; ob- ſcura, alios ex nobili, claraq́ fœmina liberos tolle- re: neq; alios incerto, iniuſtoq́ natos cõcubitũ, alios uerò iuſto, atq; honeſto coniugio procreatos relin- quere, ſed omnes eandem habere naturã, atque ori- ginẽ: Eamq́ referre & ex patre, & ex matre partim ad homines mortales ad Euagorã parentem meum, partim ad heroas ac ſemideos Æacidas, partim etiã ad ipſos Deos immortales, ut ad Iouem, & neminẽ quidem ex me natum eſſe, qui hac nobilitate, digni- tateq́ generis careat. Cùm autem multæ me res ad hanc rationem, atq; inſtitutionem uitæ & ſuſcipien- dam, & colendam excitarunt: tum etiam illa maxi- mopere eſt adhortata, quòd fortitudine quidem, & animi magnitudine, alijsq́ rebus præclaris, uidebã improbos etiam homines præditos eſſe, atque or- natos: temperantiam uerò, & iuſtitiam bonorum,

honeſt.

honeſtorumq́ uirorũ propria eſſe ornamenta. Pul-cherrimum igitur ſum arbitratus, ſi alia negligens, poſſet quis mentem, atque animum ſuum conferre ad ſtudium harum uirtutum, quæ cum improbis nõ ſunt communes, ſed maximè & bonorum uirorum propriæ, & certæ, atque ſtabiles, & omni laude di-gniſsimæ. Quibus de cauſis cùm hæc diligenter con ſideraſſem, maiore ſtudio, quàm cætera omnia, Tẽ-perantiam, atque Iuſtitiam colui: atque eas probaui ſemper, & elegi uoluptates, non quæ nulla cum di-gnitate, ſed quæ cum probitatis gloria coniunctæ eſſent. Sunt autem probandæ uirtutes, non illæ qui-dem ſemper eodẽ in genere: ſed Iuſtitia in maxima rerum deſtitutione, Temperantia in ſumma rerum poteſtate, Tolerantia in adulta, iuueniliq́ ætate: qua in temporum uarietate ego ita ſum uerſatus, ut ma-gnum uidear dediſſe ſpecimen naturæ meæ. Nam cùm in ſumma pecuniæ inopia atq; indigentia depre henſus eſſem, ita me iuſtum præbui, ut neminẽ meo-rum ciuium offenderim. Cùm uerò hanc tantam eſ-ſem adeptus poteſtatem, ut quod liberet, mihi lice-ret facere: multò tamẽ, quàm ſint ipſi priuati, mode-ſtior, tẽperantiorq́ fui. Atque utrunq; iſtorum con ſtantiſsimè retinui, eam iam agens ætatẽ, in qua plu-rima iuuenum uitia peccataq́ in rebus gerẽdis com-miſſa uidere poſſumus, quæ quidem omnia apud a-lios fortaſſe commemorare dubitaſſem, non quòd

non possem eas res gestas gloriosè magnificeq́ prædicare, sed ne magnitudo rerum fidē orationi meæ detraheret: ueruntamen uos testes mihi estis eorum omnium, quæ à me commemorata sunt. Quamobrem cùm eos & laudare, & admirari debeamus, qui naturā per se habent moderatā, tum uerò multò etiam magis eos, qui eam moderationem consilio rationeq́ confirmarunt. Nam qui casu, ac temere sunt temperati, non ratione, doctrinaq́ ita confirmati, facilè etiā huiusmodi mores possunt deponere. Qui uerò ad præstantem naturam illud iudicium adiunxerunt, quo intelligunt, ipsam uirtutem bonis præstare omnibus: hi hoc modo, atq; ordine, uitā suam omnem honestissimè traducunt. Hæc autē tam multa tum de me, tum de rebus cæteris, quas suprà audiuistis, iccirco exposui, ut nulla causa à me uobis relinquatur, quare non uestra spōte, ac summo studio ea faciatis, quæ ego uobis imperaro, atq; consuluero. Moneo igitur, ut quisq; uestrum munus, cui est præfectus, obeat & integrè, & diligenter: nā in quouis horū duorum à uobis aliquid fuerit prætermissum, in eo quidem peccari grauiter, remq́; malè administrari necesse est. Nullam ergo, ne minimam quidem rem, quæ uobis mandata fuerit, negligatis, nec contemnatis: atq; statuatis, ut quemadmodum nō ex uniuersa negotij curatione, sed ex singularum partium tractatione, atque administratione, omnis

est ip

est ipsius totius rei uel præclara, uel mala confectio, ita in his elaboretis. Neque minori uobis sunt curæ res meæ, quàm uestræ. Neq; parum boni existimetis inesse in ĳs honoribus, quibus afficiuntur hi, qui Reipub. nostræ præclarè præsunt. Neq; uerò res alienas appetatis, ut uestras domos ac familias tutius posideatis. Tales quidem uos præstare debetis in cæteros, qualem me uultis esse erga uos. Ne tã contendatis, ut diuites sitis, quàm ut boni, & probi habeamini. Et hoc quidem intelligatis, quòd quicunq; uel Græci, uel Barbari, amplissimam gloriam uirtute paratam sunt cõsequuti, ĳdem maximorum quoque bonorum potiti sunt. In ratione autem pecuniæ quærẽdæ existimate, eum quæstum, qui cum iniustitia est coniunctus, non maximum diuitiarum cumulum, sed periculum allaturum. Neque ita statuatis, lucrum, & emolumentum esse in pecunia accipienda, damnum uerò ac detrimentum in expendenda. Neutrum enim horum habet eandem semper uim, & potestatem: sed utraque ista ratio ita demum prodest ĳs, qui ea utũtur, si in tempore, & cum uirtute adhibeatur. Nullam rem grauatè, & molestè suscipiatis, quæ à me fuerit uobis mandata. Nã quicunque ex uobis operam mihi nauant in multis meis rebus maximè opportunam, & utilem, ĳsdem suis quoque domesticis, ac familiaribus maximopere consulunt. Cuius quisq; uestrum rei conscius est,

eius ne me ignarum fore arbitretur: ſed quamuis meum corpus abfuerit à uobis, mentem quidem certè in ijs quæ fient, quæque gerentur, præſto futuram: nam ſi uos ita ſtatueritis, rectius de ueſtris rebus conſuletis. Ne uelitis quidquam occultum eſſe, quod aut poſsideatis, aut faciatis, facturi'ue ſitis: propterea quòd eſt neceſſe, eas res omnes, quæ ita occultantur, in multis, magnisq́ue terroribus, periculisq́ue uerſari. Neque callidè, neque obſcurè in Reipub. uiuatis: ſed ita ſimpliciter, & apertè, ut etiam ſi quis uellet, non poſsit tamen facilè ullum in crimen uos deuocare. Res omnes eas quas ſuſcipietis, & geretis, hoc modò probate, & iudicate eas quidem prauas eſſe, quas uelletis agere me inſcio, atque ignaro: eas uerò bonas, ac honeſtas, de quibus ego certior factus poſsim uos meliores iudicare. Neque uerò taceatis, ſi quos uidebitis in imperium noſtrum improbos eſſe, & ſceleratos, ſed eos arguite: & iudicate, non minore pœna dignos eſſe eos, qui aliorum tegunt maleficia, quàm qui ea committunt. Ac eos quidẽ exiſtimate fortunatos, non qui occultant maleficia, quæ admiſerunt, ſed qui nullius fraudis culpæ'ue conſcij ſunt: nam hoc quidem conſentaneum eſt, ut & illi eam luant pœnam, quàm pro multis magnisq́ue delictis commeruerunt, & iſti eam gratiam auferant, qua pro ſummis officijs digni ſunt. Sodalitates, cœtusq́ue occultos ullos, niſi ex mea ſententia,

ac uol

ac uoluntate faciatis. Nam huiuscemodi coitiones, atque occultæ congresſiones, in alijs rebus publicis multæ, crebræq́; uerſantur: in regnis uerò periculosè, perniciosèq́; tentantur. Neque uitia, ac peccata solùm fugiatis, uerumetiam ea studia, uitæq́; instituta, quæ cùm sunt suſcepta, in aliquam suſpicionem incurrant, necesse est. Amicitiam meam maximè & certam, & firmam, stabilemq́; existimate: & hunc præsentem Reipub. statum ita amplectamini, atque tueamini, ut nullam rerum commutationem desideretis: scientes, nullam huiuſmodi mutationem, & perturbationem in Repub. posse existere, quin & ciuitatum, & domuum priuatarum interitus consequatur. Neque solùm principes, ac reges, sua natura per se uel crudeles, uel clemẽtes esse iudicetis: uerum etiam ciuium ipſorum moribus plerunq; tales existere. Nam complures iam fuerũt, qui uitijs suorum ciuium coacti sunt aſperius, & acerbius imperare, quàm ipſorum natura, & uoluntas patiebatur. Neq; magis manſuetudine mea, ac lenitate, quàm ueſtra uirtute fidite: meamq́; securitatem existimate ueſtrã esse tranquillitatem, atque quietem: nam si ratio rerum mearum fuerit præclarè constituta, eadẽ quoq; erit causa, constitutioq́; ueſtrarum. Ac modeſtos quidem, ac submiſſos, in imperio meo uos præſtare debetis, tum moribus meis, institutisq́; obſeruandis, tum legibus regijs conſeruandis: ſplendidos ue-

rò in ijs reipub. muneribus, & negotijs, quæ à me uobis mandata fuerint. Iuuenes ad ſtudium uirtutis excitate: neq; ſolùm in otio inſtituatis, uerumetiam in negotio gerendo ſubmoneatis, quemadmodum uiri boni eſſe debeant. Veſtros liberos docete, ut in regno maneant, ac uiuant, eosq́; conſuefacite, ut huius uirtutis diſciplinam imprimis colant: ſi enim parere didicerint, multò melius poterunt imperare: qui ſi iuſti quidem fidelesq́; extiterint, noſtris commodis, atque emolumentis perfruentur: ſi improbi, & perfidioſi, in periculum fortunarum ſuarum adducentur. Diuitias maximas, maximeq́; certas, ac ſtabiles, liberis ueſtris uos tradituros exiſtimate, ſi beneuolentiam meam ipſis relinquere poteritis.

Eos miſerrimos eſſe iudicate, qui perfidioſi ſunt in eos, qui ipſis ſummam fidem habent: neceſſe enim eſt, ut huiuſmodi homines in ſumma animi perturbatione uiuant, & omnes metuant, neque omni poſtero tempore, quo ſunt uicturi, magis amicis fidãt, quàm inimicis. Neque ſequamini eos qui maximas opes adepti ſunt, ſed eos, qui nullius culpæ ſibi ſunt conſcij: nam cùm hac quidem animi conſcientia quis iucundius uitam degere poterit. Ne exiſtimetis, uitium maiorem, quàm uirtutem fructum afferre, nomen uerò tetrius, odioſiusq́; habere: ſed quale quæq; res ſortita eſt nomen, talem uim eius eſſe iudicate. Ne inuideatis ijs, qui primum obtinent apud

me locum: ſed certamen cum illis ſuſcipite, & omnẽ operã date, ut uitæ probitate ſitis ijs pares, qui uos dignitate antecellunt. Exiſtimate, eos uobis & amandos, & honorandos, qui à rege diliguntur, & ornantur, ut uos quoque apud me eundem beneuolentiæ, dignitatisq́ꝫ locum obtineatis. Quæ me præſente coram dicitis, eadem ſentite me abſente. Et beneuolentiam quam habetis erga nos re & officijs potius, quàm oratione, & promiſsis declarate. Neque ea cuiquam faciatis, quæ cùm ab alijs in uos fiunt, minimè ferenda exiſtimetis. Nec quæ reprehenditis in ueſtris ſermonibus, ea in rebus gerendis ſuſcipiatis. Et actiones ueſtras ſperate tales futuras, quales de uobis ipſis cogitationes inſtituetis, iudicioq́ꝫ ueſtro, atque conſilio, ipſa negotia reſponſura. Neque ſolum laudetis bonos uiros, ſed uita etiam, ac moribus eorum probitatem exprimite. Ac uerba quidẽ mea leges quaſdam eſſe ducite, atque operam date, ut eis obtemperetis: propterea quòd ijs, qui maximè faciunt, quæ ego uolo, licebit quoque quemadmodum ipſi uoluerint, uiuere. Summa autem eorum omnium, quæ à me ſunt dicta, hæc eſt, ut tales uos ipſos in imperio meo præbeatis, quales eos quibus imperatis cenſetis oportere eſſe erga uos. Quæ quidem omnia ſi uos feceritis, quid eſt opus ad ea commoda, quæ inde conſequentur, commemoranda, longiorem orationem comparare. Nam ſi ego

in poſt

in posterum talem me præstitero, qualem omni præterito tempore præstiti, uosq́ue uestra cùm meo coniunxeritis officia, atque studia: profectò uidebitis, quamprimũ & priuatam uitæ uestræ rationem plurimis, maximisq́ue auctam commodis, & huius imperij dignitatem, ac potentiam maximè amplificatam, & uerò ciuitatem nostram planè beatam esse factam.

Quare propter has tot ac tantas commoditates oportet ut nullã rem prætermittamus, sed labores & pericula omnia suscipiamus, & perferamus: uobis quidem certè licet ut sine molestia ulla hæc omnia consequamini, modò fidem, & iustitiam uolueritis colere, & conseruare.

VIDES *Henrice Princeps in hac oratione, quàm moderata, tranquilla, ac beata potest esse ea Respub. quæ in unius imperio est constituta: si & is princeps, qui eam regit, & populus qui obedit, uterq; in suo officio, ac munere ita se gerat, ut à Nicocle rege disputatum est, & in persona eius, inducta ab Isocrate eruditissimo, elegantissimoq; oratore, indicatum. Et quoniam Latinus quidam poëta de ipsa aula, domoq; regia ita scripsit, Exeat aula qui uult esse pius: refutanda mihi uidetur ea, nec uera, nec pia uituperatio. Est enim ea sententia de familia regis non à moderato animi iudicio pronuntiata, sed ab intemperanti odio tyrannorum, quorum crudelitas animum poëtæ ita commouit, in eamq; orationis acerbitatem impulit, ut culpam propriam quorundam, ac sæuitiam, intemperantiamq; tyrãnorum in communem cæterorum principum etiam optimorum uitam, naturam, moresq; contulerit.*

Ego autem non quid ab improbis, impijsq; fieri soleat, sed quid à bonis, pijs, moderatisq; ingenijs fieri possit, et debeat, considerandum esse puto, imperiumq; iustum ac moderatum à tyrannide, & iniusta dominatione seiungendum: neque ita iudicandum de ea summa potestate, quasi pietas, religio, uirtus, in domum principis intrare

non possit. Maxima quidem, & propè infinita, in eo uitæ genere est rerum omnium potestas, ac licentia, parata ad uoluntatem uoluptatum omnium copia: summa, & periculosa moribus, delitiarum affluentia: quibus multi, non satis aut à natura temperati, aut à disciplina confirmati, ad suas cupiditates, libidinesq; abutuntur. Sed si multæ sunt tantæ, tamq; affluentes uoluptates, quibus animus moderatus, & magnus, ac excelsus moderari non possit: fatendum erit, & fuisse aliquando, & esse posse, & nunc quidem esse principes, ac reges, qui his rebus omnibus se præbeant superiores: qui Deum metuant, & colant, suum officium munusq; cognoscant: & ipsum regnum non latrocinium, neque auaritiæ, rapinæq; instrumentum, sed iustitiæ, ac innocentiæ patrocinium & præsidium & communis perfugium salutis esse putent: neque se ministros uoluptatis, ac cupiditatis, sed religionis, & pietatis: qui non quantum sibi sit permissum cogitent, sed quid commissum: neque id omne, quod lubeat, id sibi quoque putet licere: imò uerò, quod non liceat, aut deceat, id nefas sibi esse lubere: qui diligi uolunt, non metui: chari esse, non odiosi: iuris æquabilitate grati, non molesti imperij acerbitate. Qui gloriam imperij, ac dignitatem, non in potentia intolerabili, sed in beneuolentia suorum Ciuium amabili: nec eius firmitatem

tatem tam in armorum terrore, quàm in amore subditorum positam habeant: qui non uanis assentatorum studijs ducuntur, sed ueris prudentium consilijs assentiuntur: nec maleficijs delectātur, sed beneficijs: nec honesta, salutariaq́ officia, sed turpia perniciosaq́ obsequia aspernantur: quibus tota uitæ ratio ita est in uirtute ac pietate collocata, & confirmata, ut nullæ neq; delitiæ à summa moderatione ad luxuriem, neq; uoluptates à pudore ad lubidinem, neq; res ullæ à timore Dei, & officij religione, ad ullam aut iniustitiam, aut intemperantiam eorum animos reuocare poßint. An uerò qui hac mente præditus est, & hoc animo, moribusq́ temperatus, eius domus ac familia erit ita constituta, & ijs uitijs flagitijsq́ contaminata, ut pius in ea castè, purè, ac integrè uersari non poßit? an potius ita instituta, ut ea modestiæ, pudori, uerecundiæ pateat: superbiæ uerò, libidini, ac nequitiæ sit clausa? in qua mendacijs, periurijs, maleficijs nullus locus relinquatur: sed honestis officijs, ac studijs, ueritati, fidei, religioni summus honos habeatur. Vtrum ex ea aula erit exeundum ei, qui pius esse uoluerit, an potius ad eam aulam accedendum, in qua est ea tam sancta, tamq́ seuera morum disciplina, quæ non singulis solùm hominibus, uerumetiam uniuersis Ciuitatibus, ac Rebusp. grauißima uitæ & documenta, & exem

pla dare poßit? Quamobrem ut omnis contumelia, falsa præsertim, ab hoc genere uitæ repellatur, & regis ac principis dignitas retineatur, subiunxi hoc loco grauissimum, ac uerißimum spiritus sancti testimonium, à quo uita sanctißimi principis, eiusq; piæ, ac modestæ familiæ, elegantißimè descripta est. Ea quidem uitæ ratio à Dauide, maxima pietate rege, in eius aula fuit instituta, sed postea ab spiritu sancto approbata, & prodita literis: & ut cæteri reges suas domos, ac familias, & Ciuitates ad eandem pietatis formam, rationemq; moderentur. Omnia enim scripta sunt, ut inquit Paulus, ad nostram doctrinam, atq; disciplinam, ut uos etiam principes animum uestrum omnemq; uitæ rationem ad eorum regum, qui Deum religiosè coluerunt, præstantissima consilia, atque instituta imitanda conferatis.

DESCRIPTIO PII AC IVSTI REgis, *eiusq; & familiæ & Reipub. in timore Dei institutæ, Psal.* CI.

1 BOnitatem, & iudicium canam, tibi Domine psallam.

2 Prudenter me gerã in uia innocẽtiæ, donec ad me uenias, domi meæ in cordis integritate uersabor.

3 Scelus nefarium, quod ante oculos meos designem, non proponam: defectores sic odio prosequar,

quar, ut nunquam mihi adhærescant.
4 Cor peruersum facessat à me, malitiosum non a-
gnoscam.
5 Qui clam obtrectat proximo suo, eum funditus
perdam: qui elatis est superciliis animoq́ super-
bo, hunc non feram.
6 Oculi mei intenti erunt ad eos, qui student ueri-
tati, ut hi mecum uiuant: & qui in uia innocentiæ
ambulat mihi ministrabit.
7 Non habitabit apud me, qui dolum facit: qui
mendacia loquitur, nullum locum apud me fir-
mum habebit.
8 Perdam maturè omnes impios terræ: ut è ciuita-
te omnes scelerati excindantur.

PROVERBIORVM CAP. XX.

Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne
malum intuitu suo.

ISOCRATIS ORATIO FVNEBRIS, IN QVA LAVDATVR REX EVAGORAS,

omni uirtute ornatiſſimus & laude digniſſimus.

IN SVMMO honore, quo uideo te Nicocle funus patris celebrare, tum donorum, ornamentorumq́; multitudine, ac pulchritudine, tum etiam ludorum, & muſicorum, & ludicrorum certaminum uarietate, tum uerò equeſtrium, naualiumq́; præliorum contentione, ut nihil fieri poſſit honoratius, nec magnificentius: exiſtimaui Euagoram (ſi quis ſenſus eorum, quæ hic fiunt, ad mortuos pertinet) hæc quidem, quæ ei tribuuntur, accipere libenter, & lætitiam capere, cùm iſtam curam, ac ſedulitatem in ſuo funere, & magnificentiam tuam uideat: Sed tamen maiorem adhuc gratiam habiturum, ſi quis ea & inſtituta, & pericula, quæ ab illo ſuſcepta ſunt, pro dignitate ipſius commemorare poſſit. Nam fortes, magnosq́; uiros, gloriæq́; appetentes, reperiemus non laudes ſolùm his rebus præferre, ſed mortẽ etiam præclaram uitæ anteponere: ma

gisq́;

gisq́ de gloria, quàm de uita laborare: atque facere omnia, quò memoriam sui relinquāt sempiternam. Ac sumptus quidem, & impensæ, quæ istis in rebus fiunt, nullum talem honorem afferunt, sed diuitias opesq́ ostendunt. Qui uerò aut musicorum concentibus, aut aliis certaminibus celebrant funus mortuorum, ex his alij suam ipsorum facultatem ostentant, alij artem: sibiq́ honorem maiorem afferunt, quàm his ipsis, quorum funus isto modo prosequūtur. At uerò oratio, quæ quidem posit res gestas præclarè exponere, efficiet profectò, ut Euagoræ uirtus perpetuæ hominum memoriæ commēdetur. Ac alios quidem omnes laudare cōueniebat, qui per se industria sua uiri boni extiterunt, ut & illi, qui hanc dicendi habent facultatem, quà cuius uis res gestas ornare posint, eos uerè laudarent, quos nouerunt: & adolescentes maiore gloriæ studio ad uirtutē percipiendam, & colendam, exardescerent: intelligentes, eò maiorē sibi propositam laudem esse, quò meliores se, ac probiores, quàm illi fuerūt, præstiterint.

Nunc uerò quis est, qui non despondeat animum, studiumq́ uirtutis abijciat, cùm uideat eos, qui bello Troiano interfuerunt, tantis decorari laudibus, uocibusq́ Tragicorum celebrari, se autem intelligat nulla huiusmodi futurum laude dignum, ne si uirtutes quidem illorum superarit? In causa est inuidia, in qua hoc solùm inest boni, quòd plurimum mali

affert

affert ijs, qui ea affecti sunt. Sunt enim quidam ingenio, moribusq́ ita peruersis, & iniquis, ut laudes libentius audiant eorum, quos ne nouerũt quidem an sint nati, quàm eorum, à quibus maximis beneficijs affecti sunt. Veruntamen non oportet eos quidem certè, qui aliquid sapiunt, eorũ qui ita malè sentiunt, studio uoluntatiq́ seruire: sed illos negligere, atque alios consuefacere ad audienda ea, quæ rectius dici, & cõmemorari possunt. Præsertim cùm & artes, & cæteras res omnes uideamus accesſionem accepisse, non perpetua eorum obseruatione, quæ semel instituta sunt, sed correctione mutationeq́ eorum, quæ malè sunt constituta. Equidẽ non ignoro, quàm difficile sit, huius uiri uirtutem oratione exornare. Eius autem difficultatis illud maximũ est signum, quòd ijs, qui uersantur in studio sapiẽtiæ, & doctrinæ, cùm de multis alijs & uarijs rebus audeant dicere, nullus tamen eorum adhuc extitit, qui uirorum illustrium has res gestas mandare literis adhuc ausus sit: quo in genere maximam illis ueniam dandam puto. Nam poëtis quidem multa dantur orationis ornamenta, qui suo quodam iure, ac licentia, faciunt Deos cõsuetudinẽ cum hominibus habere, eorum & colloquia, & certamina inter ipsos suo arbitratu ingenioq́ fingunt. Atq́ etiam ad eas res exponẽdas, non usitatis solùm, proprijsq́ nominibus utuntur: Sed alia priscis, ac uetustis, alia nouis, alia translatis ita illustrãt,

ut nullum orationis lumen, atque ornamentum prætermittant. Oratoribus uerò nulla huiusmodi illustrandi ornandique facultas concessa est: sed omnino est necesse, ut & ea nomina usurpent, quæ cõmunis, ciuilisque cõsuetudo recipit, & ea adhibeant argumenta, quæ causa ipsa, & rerũ natura parit. Præterea illi certis & uerborum modis, & numeris, omnia efficiunt: Oratores uerò nihil tale in dicendo sibi assumunt, quæ quidem tantam gratiam habent, & suauitatem, ut quanuis tum uerborũ, tum sententiarum bonitate sint destituti: tamẽ ipsa numerositate & cõcinnitate orationis mentes auditorum maximè alliciant. Atque hanc quidem poëtarum facultatem facilè quis ex eo intelligere poterit. Nam si quis egregia atque illustria eorum poëmata in manus sumat, relictisque nominibus, atque sententijs uerborum modum formamque dissoluat, profectò uidebuntur longè minora opinione, quàm de ipsis nunc habemus. Verũtamen etsi poëma multò plura dicendi adiumenta, atque ornamenta habeat, quàm facultas oratoria non tamẽ oportet debilitari animo, sed hoc genus prosæ orationis experiri, utrũ hæc in laudandis bonis, clarisque uiris sit deterior, quàm uersus ipsorũ poëtarũ.

De Euagoræ igitur natura, deque eius genere, etsi id multis ante hominibus notum est, existimo tamẽ ad officium meum, ac reliquam orationẽ pertinere, de his quædam dicere: ut omnes intelligant, quòd cùm

pulcherrima & maxima ei relicta fuerint maiorum exempla, nulla in re se ipsum illis inferiorem præstiterit. Nam illud quidem constat apud omnes, quod ij, qui à Ioue genus ducūt, nobilitate, dignitateq́ꝫ cæteris præstent heroibus, & semideis: atqꝫ hoc in genere nemo est, qui Aeacidas non anteponat. Etenim in cæterorum quidē genere, origineq́ꝫ maiorum, reperiemus alios dignitate superiores, alios esse inferiores: isti uerò omnes clarissimi extiterunt eorum quidem omnium, qui ex eadem stirpe orti fuerūt. Nam Aeacus, qui Iouis fuit filius, proauus uerò Teucridarum, tanta excellentia fuit, ut cùm ea in Græcia siccitas esset, qua multi mortales interierunt, tantaq́ꝫ calamitatis magnitudo, ut intolerabilis planè uideretur, ad eum principes ciuitatis supplices accesserint, arbitrati illius nobilitatē, & pietatem, tantum ualere, ut per eum se à Dijs immortalibus pręsentiū malorum liberationem quamprimū impetraturos cōfiderent: cùm autē & salutem, & omnia quæ rogassent, consequuti fuissent, fanum in Aegina constituerunt, Græcorum omnium cōmune, eo in loco, in quo ille precationē fecisset. Atqꝫ eo tempore omni, quo cum hominibus uersatus est, cum pulcherrima, præclarissimaq́ꝫ uixit gloria. Postquam uerò uitam morte cōmutauit, dicitur apud inferos Plutoni & Proserpinę iudex maximo cū honore assidere. Huius filij fuerunt Telamon, & Peleus, quorū alter cum Hercule

contra Laomedontem bellum gessit, uirtutisq́ præstantis insignia retulit: Peleus autẽ cùm in ea pugna, quæ cõtra Centauros facta est, se præstantissimè gessisset, atq in multis periculis alijs summa cum gloria uersatus esset, Thedidem Nerei filiam duxit uxorem, ipseq́ mortalis cum immortali coniunctus est. Atq eum quidem ex omnibus maioribus unum dicũt esse, in cuius Nuptijs ipsi Dij Hymnæum cecinerunt. Porrò à Telamone Aiax, & Teucer nati sunt: à Pelleo uerò Achilles, qui maximũ, & clarissimum dederũt documẽtum uirtutis suæ. Neq enim solùm in suis ciuitatibus, ijsq́ regionibus, quas incoluerũt, principatum obtinuerunt: Sed cùm expeditio à Græcis cõtra Barbaros suscepta esset, magnæq́ hominũ copiæ ex utraq parte cõgregatæ, nullusq́ planè relictus fuisset, cuius quidem nomen esset illustre, in his periculis Achilles quidem omnium, qui in eo bello fuerũt, se præstantissimũ præstitit. Aiax autem præclara cum eo facinora edidit. Teucer uerò, qui & horum propinquitate dignus fuit, & cæteris nulla in re factus inferior, postea quàm Troiam unà cum alijs euertisset, in Cyprum profectus, Salamina cõdidit, nomine imposito eius, quæ ei ante fuerat, patriæ, & progeniem nũc regnantẽ reliquit. Atq hæc quidem est dignitas generis, & amplitudo, quę ipsi Euagoræ à maioribus contigit. Cùm autẽ ad hunc modũ condita urbs fuisset, à principio quidem ij, qui à Teucro

fuerant orti, regnum tenuerunt. Postea uerò aliquo temporis interuallo interiecto, cùm quidã uir exul ex Phoenicia uenisset, isq́ qui tum rex erat, summã ei & fidem habuisset, & potestatẽ tradidisset, pro his alter ei nullam gratiã omnino habuit: sed cùm ingratus iam, sceleratusq́ esset in eum, à quo fuerat acceptus, omni autem studio ac cupiditate dominãdi inflammatus, hominem de se bene meritũ expulit, ipse regnum occupauit. Sed cùm his rebus ita gestis maximopere diffideret, dominatumq́ suum cõstituere uellet, & cõfirmare, ipsam ciuitatem omni Barbarie deformauit, eamq́ Regi Persarum in seruitutem tradidit. In hoc rerum statu Euagoras nascitur, de quo quidem ea, quæ aut fama, rumoreq́ sunt iactata, aut à uatibus prædicta, aut in insomnijs uisa, quæ illius ortum possunt ostẽdere maiorem, atq́ augustiorẽ, quàm humana sit conditio, constitui prætermittere, nõ quòd mihi ea dubia uideatur oratio, sed ut omnibus ostendã, quàm mihi propositum non sit, aliquid cõfingere eorum, quæ ab illo gesta sunt: ut etiam ea, quæ de illo uerè dici possent, quæq́ pauci Ciues, & nõ omnes sciunt prætermittã. Primùm ea de illo cõmemorabo, quæ omnibus nota, & testata sunt. Nã cùm adhuc puer esset Euagoras, ijs bonis ornatus fuit, quæ maximè eam ætatẽ decent, forma egregia, robore, atq́ modestia, eorumq́ ornamentorũ poterit quis testes proferre: modestiæ quidẽ, ac uerecundiæ,

diæ,

diæ, eos ciues, qui in ludo, diſciplinaq́ꝫ puerili unà eruditi fuerũt: pulchritudinis autem eorum oculos, qui illam uiderũt: roboris uerò ea certamina, in quibus ille ſuos æquales ſuperauit. Cùm autẽ ad ætatẽ uirilem perueniſſet, ea quæ iam puer habuerat, aucta fuerũt, & ad ea adiuncta fuit fortitudo, & iuſtitia, & ſapiẽtia: non ea quidẽ mediocria, nec communia cũ aliĳs: ſed ſingula ita præclara, ut in eo ſumma eſſent, ac ſingularia. Nã uſqueadeo tum corporis, tum animi uirtutibus excelluit, ut ĳ, qui tum regnum obtinebant, cùm eum quidẽ aſpiciebant, conſternarentur animo, ac de imperio pertimeſcerent: exiſtimantes eum, qui ea ingenĳ, naturæq́ꝫ præſtantia eſſet, in priuata uitæ ratione nunquã mãſurum. Cùm uerò eiuſdem mores animaduerterẽt, tantã fiduciam ſpemq́ꝫ in eo ponebãt, ut ſi quis eos iniuſtè lædere auſus fuiſſet, arbitrarentur in ipſo Euagora ſibi fore auxilium conſtitutũ. Neq́ꝫ uerò, cùm hæc tam uaria, tamq́ꝫ diuerſa hominum de ipſo eſſet opinio, in neutro horũ eos fefellit. Nam neq́ꝫ priuatus uixit, neq́ꝫ quicquã in eos ſecus cõmiſit. Sed tãta fuit numinis de eo prouidentia, ut honeſtè regnũ obtineret: ut quæ neceſſe fuit impiè parari, & geri, ea ab alio geſta fuerint. Ex quibus uerò imperiũ iuſtè & ſanctè poterat obtineri, ea Euagoræ ſalutẽ attulerint. Cùm enim unus eorum qui in ciuitate plurimũ poterant, inſidias paraſſet, tyrãnum ipſum interfecit, atq́ꝫ ipſum Euagoram

comprehēdere conatus est, existimans se imperium nunquā retenturū esse, nisi illū quoq; e medio sustulisset. Hoc periculum cùm effugisset, atq; in solos oppidum Ciliciæ saluus incolumisq; peruenisset, nō eo animo fuit, quo ij esse cōsueuerunt, qui in huiusmodi calamitates incidūt. Cæteri enim quāuis elapsi tyrannidem effugerint, tamē quia ea est ipsorum fortuna, animo sunt demissiore, & abiectiore. Ille uerò tanta animi magnitudine fuit, ut cùm omni alio tempore priuatus extitisset, tum quidem regnare oportere statuerit, cùm exulare cogeretur. Neq; uerò in ea sua fuga, ac exilio, adire populos uagus, ac profugus uoluit, neq; per alios reditū in patriam cōparare, neq; eos obseruare, qui seipso essent deteriores: sed cùm hanc causam armorū habuisset, qua oportet eos, qui pietatem colunt, iniuriam propulsare, non inferre: cumq; deliberasset, aut re bene gesta regnum obtinere, aut sua spe falsa mortem oppetere: cohortatus homines, ut plurimi dicant, circiter quinquaginta, cum his cōstituit reditum in patriam conficere. Qua in re maximè perspici potest & natura eius, & ea autoritas, quam apud alios populos habuit. Nam cùm hac tāta paucitate hominum ad rem tātæ magnitudinis, ac difficultatis, nauigaturus esset, omniaq; pericula in loco propinquo, atq; in ipso cōspectu posita haberet, non tamen aut ille animū abiecit, aut quisquā eorū, quos hortatus fuit, pericula subterfugere uoluit:

Sed

Sed & illi, tanquam Deum sequerētur, omnes in eo, quod cōuenerat, permanserūt: & iste, quasi exercitū haberet aduersarijs superiorē, aut euentum rei prouideret, ita erat animatus. Atq; hoc quidē ex his, quæ gessit clarū est. Nam cùm in insulam ipsam descēdisset, nō existimauit, capto loco aliquò munito, in quo corpus tutò collocaret, circunspiciendum sibi esse, si qui ex ciuibus auxilium sibi ferrēt: sed illico illa ipsa nocte, qua appulit, cùm partē muri perfodisset, per eamq; milites suos introduxisset, in regiam domum irruit. Atq; eos quidē tumultus, qui eo tēpore excitari solent, & aliorum terrores, & illius cohortationes quid opus est me uobis pluribus exponere? Cùm autem ij, qui circum tyrannū erant, contra Euagorā pugnarēt, cæteri uerò ciues eundē spectarent, (Nam hi quidem, quòd metuerēt cùm illius imperiū, tum huius uirtutem, quieuerāt) non prius dimicare destitit, & solus aduersus multos, & cū paucis contra omnes aduersarios, quàm palatium ipsum occuparit. Tum uerò inimicorum iniurias uindicauit, & amicis suis opem attulit, & in domū, familiamq; suā honorē, dignitatēq; maiorū reportauit, & se principē ciuitatis constituit. Ac ex his quidē, quæ dicta sunt, ego existimo, etiam si nihil aliud cōmemorarē, finemq; dicēdi hoc loco facerē, tamen perspici posse uirtutem ipsius Euagoræ, magnitudinemq; earū rerum, quæ ab illo gestæ fuerunt. Veruntamen horum utrūq; arbitror

adhuc

adhuc me ex ijs, quæ sunt cõiuncta cũ his rebus, clarius demonstraturũ. Nam cùm multi omnibus ætatibus fuerint reges, nullus tamen unquã fuit, qui hũc honorem præclarius, quàm ille cõsecutus uideatur. Ac si cùm singulis eorũ Euagoræ res gestas cõferre, cõpararecp uellem, necp oratio audientibus fortasse grata esset, necp tempus cõmemorandis rebus sufficeret. Sin autem eos deligamus, qui maximè gloria excelluerunt, eorumcp contentione Euagoræ uirtutem, quæ & quanta fuerit, consideremus, non minus grata quidẽ, sed tamẽ breuior de his instituetur oratio. Ac felicitati eorũ, qui à parẽtibus per manus tradita regna acceperũt, quis Euagoræ pericula non facilè anteponat? Nullus enim est tam socordiæ, ignauiæcp deditus, qui malit imperium à maioribus suis accipere, quàm illud integrè sanctecp adeptus liberis suis relinquere. Atqui ex ijs quidem, qui ab exilio in patriam suam reuerterũt, hi illustri fama celebrãtur, quos à poëtis accepimus. Isti enim non memoriæ solum produnt pulcherrimas in patriam clarorũ uirorum reuersiones, uerũetiam ex se ipsis nouas confingunt. Nemo tamen eorũ quenquã adhuc fictè fabulosecp prodidit, qui tãtis periculis, terroribuscp susceptis, in patriã suam reuersus fuerit. Sed alij finguntur recuperasse regna felicitate quadam usi, alij uerò fraude, & arte, hostibus facti superiores. At uerò eorum quidẽ, qui postea sunt consecuti, fortasse etiam

omnium,

omnium cæ plures maximè Cyrum admirantur, qui Medis imperiũ abstulit, atque Persis cõparauit. Sed ille tamen Persarum copijs exercitum Medorũ superauit, quod multi & Græcorum & Barbarorũ facilè potuissent efficere. Hic uerò plurimas res, quæ sunt antè expositę, suo & animo, & corpore gesſisse uidetur. Deinde ex ea expeditione quam suscepit Cyrus, nondũ planè liquet, an subire Euagora pericula potuisset. At ex huius rebus gestis nemini est dubium, quin illa quoq; opera suscepisset, atq; gesſisset. Præterea hic iustè quidẽ, & sanctè omnia gesſit: ille uerò quædam fecit non satis piè. Nam hic hostes suos ac reip. funditus perdidit: Cyrus uerò patrẽ matris suæ interemit. Quamobrem si qui uellent nõ amplitudinem gest[illegible] rerum, sed uirtutẽ utriusq; iudicare, iure, & n[illegible] Euagoram magis, quàm istum laudare possent. Quòd si paucis oportet dicere, ita, ut nihil disſimulem, nec[illegible] inuidiam reformidem, sed summa utar libertate, nullus neq; mortalis, neq; semideus, neq; immortalis unquã reperietur, qui & pulchrius, & præclarius, & maiore pietate, quàm ille imperiũ fuerit adeptus [illegible] q; his quidẽ maximè quis ex eo fidem h[illegible]bere poterit, si non ita uehemẽter de ijs, quæ nun[illegible]untur, dubitans, exquirere uoluerit, quẽadmodum quisq; eorum regnum administrarit. Neq; enim, ut omni ratione res augeã, magnificeq; dicã, instituisse uidebor: sed quia sunt ueræ, iccirco liberè,

atq; audacter de ipso dixisse. Quod si paruis in rebus Euagoras excelluisset, cōueniebat ut pari quoq; oratione, & laude dignus haberetur. Nunc autē inter omnes cōstat, regnum omnibus bonis rebus, quæ aut apud Deos, aut apud homines sunt, & magnitudine, & amplitudine, ac dignitate facile præstare, dignissimumq; esse, de quo omnis contentio, atq; dimicatio suscipiatur. Eum ergo, qui rem omniū, quæ in natura sunt, pulcherrimā pulcherrimè, præclarissimeq; compararit, quis aut orator, aut poëta, aut orationis artifex pro dignitate, amplitudineq; rerū gestarum laudare posset? Neq; uerò is, qui his in rebus ita excelluit, in cæteris seipso reperietur inferior. Sed primùm, cùm ingenio, ac solertia præditus esset singulari, eaq; ui mētis, qua omnia rectè posset agere, non tamen negligēdas res sibi, neq; leuiter tractādas existimabat: sed & in quærēdo, & cogitando, & deliberando plurimū temporis consumebat: illud quidem iudicans, ut quam rationē rectè adhiberet suæ excolendæ prudentiæ, eandem quoq; se administrādi regni præclarę habiturū, admirans uerò eos, qui cùm animi causa cætera curarent omnia, eius tamen nullā curam cogitationemq; susciperēt. Deinde in ipsis rebus gerendis, atq; administrandis, eandem mentem adhibuit. Nam cùm uideret eos, qui in administratione rerum plurimū curæ ponerent, minimū etiam percipere molestiæ, ueras q; uoluptates non in ocio

perfru

perfruēdo, ſed in negotio rectè gerendo, laboreq́ꝫ tolerando, eſſe ſitas: nihil prætermittebat, quod nō diligēter, accurateq́ꝫ exquireret: ſed ita exactè & actiones rerum perſpiciebat, & ſingulos ciues cognoſcebat, ut neq́ꝫ inſidiatores eum anteuerterēt, neq́ꝫ boni probiq́ꝫ laterēt, ſed omnes præmia ſuis factis digna obtinerēt. Non enim ex ijs, quę audierat ab alijs, aut puniebat, aut caſtigabat ſuos ciues: ſed ex ijs, quæ ipſe optimè nouerat, iudicia faciebat. Cùm autem in his curis, cogitationibusq́ꝫ ſeipſum collocaſſet, in cæteris etiam rebus, quæ quotidie incidunt, nullo cum errore uerſabatur. Sed tanta & pietate erga Deos, & humanitate erga homines in gubernanda Ciuitate utebatur, ut peregrini, qui huc ueniebant, non magis regnum Euagoræ, quàm ipſis ſubditis talem regem inuiderent. Nam omni tempore uitæ ita uixit, ut neminem iniuria, omnes autē bonos honore afficeret. Ac ſeuerè quidē omnes in imperio cōtinebat: in eos uerò, qui deliquerant, iure animaduertebat: & cùm nullius quidem conſilio indigeret, cum amicis tamē unà conſiliū capiebat. Ac in pleriſq́ꝫ, quæ cum amicis familiariter tractaret, ſe præſtabat inferiorem: in omnibus, quæ gereret aduerſus hoſtes, ſuperiorem. Neq́ꝫ uerò grauis erat ueſtitus, cultusq́ꝫ magnificentia cōparata, ſed totius uitæ dignitate cōſtituta. Nec ulla quidē in re diſſolutè, aut uariè, & inconſtanter ſe gerebat: ſed æquabiliter ſeruabat non minus ea, quæ

in sermone promisisset, quàm quæ iureiurando affirmasset. Nec uerò ob ea bona gloriabatur, quæ concessa à fortuna acceperat: sed ob ea, quę sua industria comparata habebat. Amicos quidē adiungebat sibi beneficentia, ac liberalitate: alios uerò animi magnitudine in potestatē suam redigebat. Nec, quòd multis acerbius succenseret, formidabilis erat: sed quòd natura, & ingenio, cæteris longè præstaret. Nec parebat uoluptatibus, sed eis imperabat, easq́; & permagnas quidem, ac permultas paucis acquirebat laboribus, non autem propter paruam uoluptatē maximos sibi labores imposterum reseruabat. Nullam deniq; rem prætermittebat, quæ esse debeat in regibus, sed ex singulis rebusp. quod optimū esset, deligebat. Ac popularis quidē erat summa quadam plebis, multitudinisq́; curatione: tum etiam ciuilis eximia Ciuitatis gubernatione, tum uerò militaris, ea, quæ in periculis adeundis est adhibenda, consilij prudentiā, tum deniq; planè regalis pręstantia omnium istarum rerū, quibus cæteros omnes anteibat. Atq; hæc quidē fuisse in Euagora, atq; alia maiora, quàm hæc sunt, ex rebus eius gestis facilè est cognoscere. Nam cùm Ciuitatem accepisset omni inhumanitate, & barbarie deformatā, quæ propter imperiū Phœnicū neq; Græcos apud se acciperet, neq; artes ullas sciret, neq; mercaturā exerceret, neq; portus ullos haberet: hæc omnia maximopere uitiata emendauit, &

præt

præterea agrum permagnum, lateq́ patentẽ, acquisiuit: & murum ciuitatis fossa adiecta circundedit, & triremes ædificandas curauit, alijsq́ rebus cõparandis ita auxit ciuitatem, ut nullis Græciæ Ciuitatibus cesserit, tantamq́ potentiam ei peperit, ut permulti, qui antè eam contemnebant, uehemẽter reformidarẽt. Atqui fieri nullo modo potest, ut ipsæ Ciuitates hæc tanta accipiant incrementa, nisi quis eas tẽperet ijs institutis, et moribus, quos Euagoras habuit: ego autem modò exponere conatus fui. Itaq; nõ uereor, ne uidear magis uerbis augere, quæ in illo fuerunt, quàm ea minuere, quæ ab eo gesta sunt. Quis enim est, qui hãc tantã naturæ excellentiã dicendo æquare posſit, qui non hanc solùm Ciuitatem tanta ornauit dignitate, uerùm etiam uniuersam regionẽ continentem ipsius insulæ ad mansuetudinẽ, atq; moderationem reuocauit? Nam prius quidẽ, quàm Euagoras imperiũ esset adeptus, ita ab omni hominũ societate abhorrebant, atq; ab omni humanitate refugiebãt, ut eos principes optimos esse iudicarent, qui in Græcos acerbiſsimo existerent odio. Nunc autem ita mores, animumq́ immutarũt, ut & certent inter se, quinam ex ipsis Græcorum amantiores uideãtur, & causa procreandorum liberorum uxores à nobis accipiant, & magis tum rebus Græcorum, tum institutis, quàm suis ipsorum delectẽtur, & ij, qui musicam profitentur, & alias artes liberales, his in locis nunc

 sint

ſint frequẽtiores, quàm antea eſſe conſueuerãt. Atq; harum rerum omnium nemo eſt, qui nõ Euagoram autorem eſſe fateatur. Illud autem maximum eſt & morum eius, & ſanctitatis argumentum, quòd ex Græcis multi honeſti, & boni uiri, cùm patriam ſuã reliquiſſent, in Cyprum uenerunt ut eo in loco habitarent: arbitrati regnum Euagoræ & ad ciuilẽ ſocietatem magis eſſe aptum, & legibus melius temperatum quàm hæ reſpub. quas domi ſuæ haberẽt: quorum quidem alios cõmemorare nominatim, ualde eſſet laborioſum. Cononem uerò, qui propter plurimas uirtutes apud Græcos principatum tenuit, quis ignorat, quòd in aduerſa ciuitatis ſuæ fortuna Euagoram potiſsimũ elegerit, ad quẽ ueniret? ratus, & firmiſsimum ſuæ apud illum ſalutis eſſe perfugium, & quàm celerrimũ in eodem fore auxilium conſtitutum. Cùm autẽ is multa iam antè rectè geſsiſſet, tum uerò nihil unquam melius cõſtituiſſe uiſus eſt, quàm his de rebus cum Euagora ſua conſilia cõmunicare. Euenit enim, ut propter ſuum in Cyprum aduẽtum plurima & alijs, & ſibi cõmoda compararit. Ac primùm ſimulatq; cõgreſsi inter ſe collocutiq; fuiſſent, contracta iam familiaritate maiorem alter de altero opinionẽ habuit, quàm antea habuiſſet. Deinde cæteris in rebus conſentientes omni tẽpore coniunctiſſimè uixerunt, idemq; de noſtra ciuitate ſenſerunt. Cùm enim uiderent, eã in poteſtatẽ Lacedæmoniorum

rum

rum esse redactã, et magnam rerum cõmutationem, uarietatẽq; fortunæ perpessam, moleste, grauiterq; ferebant, uterq; memor eius officij, quod patriæ debuit. Nam Cononi quidẽ patria erat natura, Euagoræ uerò propter multa magnáq; beneficia, ciuitas lege data fuerat: cùm autẽ in ea essent cogitatione occupati, ut ciuitatẽ præsentibus liberarent calamitatibus, repẽte Lacedæmonij occasionem præbuerunt. Nam cùm & terra, & mari Græcis imperarẽt, in tantam cupiditatẽ sunt prolapsi, ut Asiæ etiam iniuriã inferre conati fuerint. Hanc uerò occasionẽ cùm illi arripuissent, & duces regis Persarũ de ratione belli gerendi dubitarent, docuerunt eos, nõ terra, sed mari cõtra Lacedæmonios esse bellandũ: illud quidem iudicantes, si exercitũ terra cõparassent, atq; eos imperassent, eas solùm ciuitates, quæ in cõtinente sunt, fructũ esse percepturas: si uerò maritimis copijs deuicissent, uniuersam Græciã in eius uictoriæ societatem esse uenturã, quod euenit. Nã cùm hæc ducibus essent persuasa, clasisq; comparata, ea pugna nauali & Lacedæmonij sunt superati, ac imperio priuati, & Græci in pristinam libertatẽ restituti. Nostra uerò ciuitas pristinam gloriæ partem recuperauit, sociorumq; dux fuit constituta. Atque hæc gesta fuerunt Conone quidem imperatore, Euagora uerò & opera, & maxima copiarum parte adiutore, pro quibus nos quidem maximos eis honores habuimus,

mus, statuã́q; utriq; eo in loco, ubi Iouis seruatoris est simulacrum, ita posuimus, ut utraq; iuxta illũ, & altera prope alterã locata monumẽtum esset, & magnitudinis eius beneficij, quo rempub. affecerunt, & summæ necessitudinis, ac cõiunctionis, quæ inter illos intercessit. At uerò Rex Persarum nõ ita de illis iudicauit, sed quò maiores res gessissent, eò uehemẽtius eos pertimuit. Ac de Conone quidẽ aliud dabitur nobis aliquando dicẽdi tempus. Quòd autẽ hoc animo atq; iudicio in Euagorã fuerit, ne ipse quidẽ uoluit occultare. Nam ad illud bellum, quod in Cypro est gestum, plus studij, curæ, operæq; contulisse uidetur, quàm ad cætera omnia quæ ab eo gesta unquam fuerunt. Maiorem autẽ, & grauiorem illũ aduersarium est arbitratus, quàm Cyrum, qui de imperio armis secũ contenderat. Cuius quidem rei maximum est argumẽtum, quòd cùm audiret illius apparatus, adeò eum cõtempsit, ut parum abfuerit, quin eo ignaro ad eius tribunal accesserit propius. Hunc uerò iandudum ita uehemẽter metuebat, ut homini tum quidẽ de se bene merenti conatus sit bellũ inferre, nõ iustum illud quidẽ, nec tamen temere, nec sine ratione susceptum. Etenim sciebat multos tum Græcos, tum Barbaros ex paruis, exiguisq; rebus maxima sæpe imperia effecisse. Huius autẽ animi magnitudinẽ senserat, neq; paulatim, ac sensim, aut tantam rerum accessionem esse factam, aut tantam gloriam

rerum

rerum gestarum partam existimabat: sed illum cùm uirtutem excellentē habere, tum uerò etiā fortunam in bellis gerēdis comitem & adiutricem. Itaq; nō ira doloreq́; præteritarum iniuriarum motus, sed metu rerum futurarū, neq; uerò de Cypro solū, sed de maioribus multò rebus pertimescens ei bellum intulit. Itaq; tanto animi impetu ad id bellum gerēdum est concitatus, ut plura, quàm quinq; talētum millia in eo consumpserit. Sed tamen Euagoras omnibus his uiribus longè inferior, cùm ingeniū consiliumq́; suū maximis apparatibus copijsq; opposuisset, multò admirabiliorē se, quàm in cæteris, quæ sunt antè dicta, declarauit: Nā quandiu per alios pacē ei agere licuit, suam solā retinuit ciuitatē. Postquā uerò eum ad bellum gerendū necessitas impulit, talis fuit, et talem Protagorā filium suum, & comitē belli habuit, ut uniuersam propè Cyprum occuparit. Phœniciā àutem deuastauit, tum urbē Tyrum cepit maxima ui oppugnatam: Ciliciam uerò ab ipso rege ad defectionē seuocauit: tātamq́; hostium multitudinē perdidit, ut multi Persarū cùm suas quidē calamitates deplorarent, uirtutē eius recordarentur. Postremò tāta belli gerēdi satietate eos expleuit, ut cùm omni alio tēpore non prius solerent reges cum ijs, qui defecerant, bellum cōponere, quàm eorū corpora, uitamq́; in potestate sua haberent: cum Euagora tamē pacem fecerint libenter, eamq́; legem abrogauerint,

neq; in regno illius aliquid immutarint. Ac Lacedæmonijs, qui tum quidē summam & gloriā, & potentiam habebant, Rex Persarū tribus annis imperium abstulit: Euagoræ uerò, quo cum decē annos bellum gessit eundem principatum reliquit, quem is ante habuit, quàm ad id bellū deueniret. Illud autē omnium maximè admiratione dignū est: Nam quam urbem Euagoras, regnante alio, cum parua manu quinquaginta tantum hominū cæpit, eam rex magnus cum tantis copijs ac uiribus in potestatem suam redigere non potuit. Atqui quonam tandē modo quis posset clarius demōstrare fortitudinem, aut prudentiā, aut omnem deniq; uirtutē Euagoræ, quàm ex his rebus gestis, atq; periculis, quę ab eo suscepta fuerūt? Neq; enim solùm omnia cætera bella uidebitur superasse, uerùm etiā illud, quod ab omnibus celebratur hominibus, quod à clarissimis uiris heroibus gestum est. Nam illi cū uniuersa Græcia Troiam solā ceperunt: hic uerò unam tātum habens ciuitatē, bellum à tota Asia illatū propulsauit: ut si tantam copiam ingeniorum, eius uirtutē prædicantium, nactus fuisset, quanta illis contigit, maiorē etiam gloriā, quàm illi, adeptus esset. Nā ut omissis fabulis ipsam cōsideremùs ueritatē, quem reperiemus ex ijs, qui eo quidem tempore fuerūt, qui tot, tātas, tamq; præclaras res gesserit: aut qui tātarū rebus mutationū auctor extiterit? qui & seipsum ex priuato regem constituit, & genus

nomen

nomenq́ꝫ suum è Rep. profligatū ad pristinā, & debitam dignitatē, honoremq́ꝫ reuocauit, & ciues ipsos cùm ex Barbaris Græcos, tum bellicosos ex effœminatis, atq́ꝫ imbellibus, tum etiam claros ex obscuris ac ignobilibus reddidit. Regionē uerò eam omnē, cùm nulli hominū commercio patentē, planeq́ꝫ efferatam accepisset, ad eum traduxit cultū, atq́ꝫ humanitatē, ut nūc quidē mansuetior multò, humaniorq́ꝫ uideatur. Præterea cùm inimicus regis esset factus, ita eum egregiè repulit, ut id bellum, quod in Cypro est gestum, maximè memorabile fuerit: cùm autem eiusdē socius esset, tantò utiliorē, atq́ꝫ opportuniorem, quàm cæteri, operā ei, opemq́ꝫ præstitit, ut ad illud nauale præliū, quod apud Cnidum est factum, maximas uires cōtulerit. Qua maritima pugna commissa, & rex Persarū totius Asiæ potitus est, & Lacedæmonij à continētis uastatione, populationeq́ꝫ, ad suæ ipsorū periculū patriæ fuerunt cōpulsi, & Græci ea seruitute, qua præmebātur, liberati, suæq́ꝫ restituti libertati: Atheniēsibus uerò tanta est facta rerū accessio, ut ij, q ipsis paulò antè imperabāt uenirēt ad eos, ultroq́ꝫ ipsis imperiū traderent. Quāobrē si quis me rogaret, quid ex ijs omnibus, quæ ab Euagora sunt gesta, putē esse maximū utrum eius summū studium atq́ꝫ apparatū aduersus Lacedæmonios susceptum, an hoc bellū nouissimū an ipsius regni adeptionem, an uerò uniuersam rerū administrationē: in maxima

 profe

profectò dubitatione uersarer, quid mihi in his præstãtissimũ esse uideretur. Nam id quidẽ maximum, maximaq́ꝫ admiratione dignum uidetur, quodcũqꝫ mente, cogitationeq́ꝫ cõprehendero. Quare si quidã ex ijs, qui superiore fuerũt ætate, propter uirtutẽ immortales extiterũt, hoc immortalitatis præmio illũ quoqꝫ habitum dignũ arbitror: hac quidẽ ductus cõiectura, quòd hic etiã uitã felicius, & sanctius, quàm illi, traduxerit. Nam cõplures heroës, eosq́ꝫ clarissimos, reperiemus in acerbissimis casibus, maximisq́ꝫ calamitatibus esse uersatos. Euagoras uerò iam inde ab initio, toto uitæ cursu nõ præstãtissimus solũ maximeq́ꝫ admirandus fuit, uerùm etiã summè beatus. Quæ enim felicitas ei defuit? qui ab ijs maioribus est ortus, ex quibus nemo alius, nisi qui ab eisdẽ genus duxit. Corpore autẽ cæteris, & robore adeò præstitit, ut dignus planè haberetur, qui non Salaminis solùm ciuitatis, sed totius etiã Asiæ imperiũ obtineret. Cùm uerò regnum prçclarissimè esset adeptus, in eo uitam suã terminauit. Et cùm mortalis natus esset, immortalẽ sui memoriam posteritati commẽdauit. Tãdiu deniqꝫ uixit, ut neqꝫ expers senectutis fuerit, neqꝫ particeps eorũ morborum, quibus ea solet ętas laborare. Præterea, id quod uidetur perrarũ esse, & perdifficile, ut quis simul multos, & bonos liberos habeat, hoc etiã ei minimè defuit, sed felicissimè cõtigit: & quod maximũ est, neminẽ reliqt ex ijs quidẽ,

qui

qui ab eo nati fuerunt, qui priuato nomine appelletur: sed alius rex, alij principes, aliæ reginæ nominantur. Quare si nõnulli poëtæ de aliquo eorũ, qui superiore fuerũt seculo, quædam incredibiliter dixerunt, ac magnificentius, quàm ipsa ueritas patiatur, quod Deus in hominibus erat, aut numen quoddam, non mortalis homo, hoc maximè de illius natura conuenit dicere. Ac multa quidẽ me, quæ ad Euagorã pertinẽt, prætermittere arbitror. Minus enim de eo illo dico, quàm ea ui mẽtis, ac cogitationis meæ sim complexus, qua hanc laudationẽ accuratius diligẽtiusq́; institui atq; elaboraui. Sed tamẽ nunc quidẽ, quantũ pro mea facultate laudari potuit, non erit expers laudis. Ego autẽ arbitror, Nicocle, ipsas quidẽ statuas, corporũq́; imagines pulchras esse, multò tamen pulchriores, præstãtioresq́; existere actionũ, & consiliorũ, quæ in orationibus artificiosè cõpositis expressæ uideri possũt. Ego uerò has lõgè antepono: primũ, quod sciã bonos, honestosq́; uiros, nõ tã propter pulchritudinẽ corporũ, quàm propter dignitatẽ rerũ gestarũ, memoriãq́; gloriari. Deinde quòd est necesse, ut illæ imaginũ formæ & figuræ apud illos tãtùm sint, apud quos positæ fuerint: orationes autẽ ita emitti efferriq́; in Græciam possunt, ut quasi per manus traditæ, in manus prudentiũ hominũ perueniant, quorum existimatio maiorẽ et illustriorẽ, quàm cæterorum gloriã affert. Accedit his, quòd neq; ficta simu-

sacra, neq; pictæ imagines eã uim habent, ut ad eorũ similitudinẽ natura nostrorũ corporum traduci con formariq́; posſit. Mores uerò, & cogitationes, quæ literis extant expreſſæ, facilè ad imitationẽ proponi poſſunt, ijs quidẽ certè, qui non ignauiæ inertiæq́; se dedere, sed probitatẽ atq; uirtutẽ colere instituerũt: quibus de cauſis hãc orationem ſcribere hoc ſtudioſius ſum aggreſſus, quòd arbitrarer, & tibi, & tuis liberis, & cæteris, qui ab Euagora fuerunt orti, multò pulcherrimã hanc cohortationẽ fore, ſi quis uirtutes eius collectas, atq; ornatas oratione uobis & ſpectãdas, & legendas, & diu, multumq́; cogitãdas traderet. Ac cæteros quidẽ ad ſtudiũ doctrinæ, ſapiẽtiæq́; exhortamur, alios etiã laudamus, ut ęmulatione eorum, qui his ornãtur laudibus, cæteri ad eaſdẽ artes, ſtudiaq́; excitẽtur, quibus illi tantas laudes ſunt con ſecuti. Ego uerò te, tuosq́; nõ alienis, ſed proprijs, ac domeſticis exẽplis hortor, & moneo, ut ad hęc legẽda omnem mentẽ tuam, cogitationemq́; conuertas, ut non minorẽ, quàm ipſi Græci & dicẽdi, & faciẽdi facultatẽ conſequi poſsis. Neq; uerò exiſtimes, te à me condẽnari negligẽtiæ, quòd tam ſæpe te ijſdẽ de rebus cõmoneam. Neq; enim aut mihi, aut alijs eſt obſcurũ, quòd ex his quidẽ, qui in regno, & diuitijs, & delitijs uiuunt, tu unus et primus es, qui animum, ſtudiumq́; tuũ ad doctrinã, atq; induſtriã contuliſti. Neq; etiã quod iſtius doctrinę tuæ emulatione mul-

tos ſis

tos ſis reges redditurus & horum ſtudiorũ appetentes, & abhorrẽtes ab ijs rebus, quibus nunc uehemẽter delectãtur. Verũtamen etſi hæc mihi nota exploratacꝫ ſint, facio tamẽ, faciamcꝫ id, quod ijs, qui currunt, facere ſolent ſpectatores: Illi enim clamoribus maximis hortãtur eos, nõ qui in curſu deficiunt, ſed qui de uictoria cõtendunt. Ac meũ quidem, & cæterorum amicorũ officium eſt, ea & dicere & ſcribere, quibus te excitemus ad eas res & artes expetendas, quarũ nunc es ſtudioſus. Tibi uerò honeſtum, decorumcꝫ eſt, ut nullã omnino rẽ prętermittas, ſed quẽadmodũ in hoc pręſenti, ſic in reliquũ tempus omnẽ diligẽtiam adhibeas, atcꝫ animũ tuum excolas, ut & patre tuo dignus exiſtas, & maioribus cæteris. Quẽadmodũ quidem omnibus conuenit, ſummã habere curam acquirẽdæ prudentiæ: maximè uerò regibus, quibus multarũ, magnarumcꝫ rerũ poteſtas cõmiſſa eſt. Necꝫ uerò hoc tibi ſatis eſſe debet, ſi ijs, qui tecũ in hac rep. ſunt ſis uirtute præſtantior, ſed graue atcꝫ indignũ, niſi tu iſta natura præditus, eocꝫ genere natus, quod & ab ipſo Ioue tibi peruetus eſt, & nunc recẽs à uiro ſingulari uirtute pręclaro, elaboraueris, ut cùm cæteris omnes, tũ uerò eos qui hoc ſunt affecti honore, longè præcellas. Eſt autẽ in te quidẽ ſitũ, ut iſta cõſequaris. Nã ſi in ſuſcepto philoſophiæ ſtudio conſtãter mãſeris, eoſcꝫ progreſſus feceris quos nũc facis: talis quãprimũ euades, qualẽ te eſſe oportet.

FINIS.